
1171



Ex Libris Com. Branicki
Sucha

BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XVII 2126

1171

R. P. F.

SAMVELIS DE LVBLINO

ORDINIS PRAEDICATORVM,
PROVINCIAE POLONIAE,
Sacræ Theologię Baccalaurei,
AC IN ALMO CRACOVIENSI
Conuentu eiusdem Theologiæ Professoris
Ordinarij.

IN OCTO LIBROS ARISTOTELIS de Physico auditu Quæstiones Scholasticæ, secundùm viam Thomistarum per articulos distinctæ.

QVIBVS DVO INDICES SVNT ADIECTI, vnus Quæstionum, alter rerum memorabilium.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.



135

COLONIAE AGRIPPINAE,
EX OFFICINA CRITHIANA
Sumptibus PETRI Henningij, & Hæredum
IOANNIS Crithij, ANNO M. DC. XXVII.

XVII – 2126 – II

BIBL. ZN. IO

BIBL. Z.N.IM. OSSOLINSKICH

ADMODVM REVERENDO ET EXIMIO P. F. IOANNI Gôdert Prædicatori Generali, Prouinciæ Teutoniæ Priori Generali Dignissimo, Patrono Obseruandissimo, S. P. D.

Dignissime Pater:

EREQVENS *hospitalitatis tuæ, quâ me, contagiosæ luis calamitate ciuitatem vniuersam Agrippinensem obeunte, eius tum mœnia egressum, in humiliore virtutum sede constitutus excepe-*

ceperas, recordatio, voluntatem meam non rarò accendit, vt iustam omninoque debitam in gratiarum actione contentionem ostenderem. Diffugere interim, non pauci mensis, nec breue tempus stabilis hæc cogitatio absorbuit, quo meo me desiderio satisfaciendi oportunitate priuatum ægerrimè ferebam; donec tandem ex officinæ meæ supellectile gratum Tuæ Dignissimæ Paternitati *inuenisse omninò mihi persuaderem munusculum. Missa mihi erant ex Prouincia Poloniæ Ordinis Vestri fœcundissimâ Scholâ, in naturalẽ Philosophiã commentaria typis euulganda, hæc cum prælo subijcienda manibus*

bus tractarem, inspiceremque oculis, beneficiũ præfatum animo intuens, vt eius apud me memoriam nũquàm interijsse testatum facerem, sub tui nominis potissimum epigraphe, in plurium aliorum, tum maximè Fratrum Ordinis vestri vtilitatẽ publicanda esse censui; non enim cum summâ claritate, rarâ breuitatis laude ornatæ, nec minùs ita breues vniuersa necessaria complectentes veritatum naturalium Tabulæ solidis Peripateticorum, Angelicique Doctoris fundamentis roboratæ, eiusdẽ facillimam scribẽdi methodũ, ad viuũ pene exprimi ẽ-alio referri oportebat, nisi adz ,e-losum aliquẽ non dissimilis, ci im

illo professionis sectatorem, paribus etiã virtutũ exemplis insistentem; ad eũ dico, cuius tacita nominis monitio, latentẽ earũ vtilitatẽ securè promitteret: cuius eminẽti altitudini in sublimitatẽ scientiæ, virtutumq́, inferiorum erigeretur animus. Suscipe igitur affectu paterno munus hoc chartaceũ, amplectere gratitudinis erga te meæ argumentũ diu debitũ, ac fauere, vt consueuisti, perge. Vale tibi & Ordini quàm diutissimè fœlix. Dat. Colon. ex Officinâ meâ sub signo Cuniculi, Anno 1627. 25. Februar.

Vestræ Admodum Reuerendæ &
dignissimæ Paternitatis, &c.
Obseruantissimus
PETRVS Henningius
Ciuis & Bibl. Colon.

FACVLTAS ADMODVM PEVERENDI PATRIS

Prouincialis Poloniæ.



Frater ANDREAS Radauieckij Sacræ Theologiæ Magister, Prior Prouincialis Prouinciæ Poloniæ Ordinis Prædicatorum, Tibi Reuerendo Patri F. SAMVELI de LVBLINO Sacræ Theologiæ Ordinario studij Cracouiensis Baccalaureo, authoritate Officij nostri, ac præsentium tenore, damus facultatem, vt certos libros octo Physicorum, & tres de Anima, à te nuper compositos, typis mandare valeas. In nomine Patris & Filij & Spiritus S. Amen. Datum in nostro Conuentu Cracouiensi 25. Augusti 1625.

Fr. ANDREAS Prouincialis.

Locus sigilli

Registrata fol. 171.

Fr. Valerianus Magist. Magnific.

APPROBATIO.

EX *commissione Admodum Reuerendi Patris Fr. Andreæ Radauieckij Magistri, Prouincialis Poloniæ, Ordinis Prædicatorum, summâ cum voluptate perlegi Quæstiones super octo libros Physicorum, & tres de Anima Reuerendi P. F. Samuelis de Lublino Sacræ Theolog. nunc in studio Generali Cracouiens. Ordinis eiusdem Baccalaurei ordinarij per Articulos distinctas. In quibus nihil quod S. Catholicæ fidei, aut moribus repugnet deprehendi: quinimo Opus propter gratam omnibus breuitatem cum facilitate coniunctam, pro communi Philosophantium vtilitate, Ordinis ac Prouinciæ honore, censeo ac iudico esse dignissimum impressione. Datum Cracouiæ die 7. Octobris. 1621.*

Fr. Camillus Magister ac Regens Cracouiens. Ordin. Prædic. Magnif.

CATALOGVS ARTICVLORVM QVI IN TOTO hoc Opere continentur.

QVAESTIO PROOEMIALIS.

In qua de vnitate, & Obiecto Philosophiæ naturalis, & partium eius deseritur. pag. 2

ART. I. *Vtrum Philosophia naturalis sit sapientia necessaria.* ibid.

II. *Vtrum de rebus naturalibus possit dari scientia.* 6

III. *Vtrum Philosophia naturalis quoad omnes sui partes sit vna specie scientia.* 8

IV. *Vtrum Ens mobile sit Obiectum adæquatum Philosophiæ naturalis.* 12

QVAESTIO PRIMA.

De modo procedendi in Physica. pag. 17

Art. I. *Vtrum in Philosophia naturali debeamus procedere à principijs rerum & Elementis.* ibid.

II. *Vtrum difficultas in rebus intelligendis ex parte rerum vel ex parte intellectus proueniat.* 20

QVAESTIO SECVNDA.

Circa opiniones antiquorum de principijs. 24

Art. I. *Vtrum Philosophus naturalis possit disputare contra negantes sua principia.* pag. 24

II. *Vtrum totum distinguatur realiter à suis partibus simul vnitis.* 27

III. *Vtrum quælibet res naturalis habeat certum suæ magnitudinis terminum.* 32.

QVAESTIO TERTIA.

In qua de principijs in communi, & eorum conditionibus disputatur.

ART. I. *Vtrum principia rerum naturalium sint contraria.* pag. 38.

II. *Vtrum*

II. *Vtrum omnia rei naturalis principia sint contraria.* 41
III. *Vtrum principia rerum naturalium sint tantum tria.* 45.

QVAESTIO QVARTA.

De essentia & passionibus tam proprijs quàm communibus materiæ primæ 48.
ART. I. *Vtrum materia prima sit Ens substantiale à Deo productum.* pag. 50.
II. *Vtrum informitas materiæ præcesserit tempore formationem illius.* 50
III. *Vtrum materia sit pura potentia.* 53
IV. *Vtrum appetitus naturalis distinguatur realiter à materia.* 58
V. *Vtrum in materia remaneat appetitus ad formam semel amissam.* 61
VI. *Vtrum materia possit existere sine forma per absolutam Dei potentiam.* 64
VII. *Vtrum materia omnium generabilium & corruptibilium sit vna numero.* 67
VIII. *Vtrum materia corporum cœlestium sit eiusdem speciei cum materia inferiorum.* 70
IX. *Vtrum si forma cœlestis vniretur per miraculum materiæ inferiori, esset cœlum corruptibile.* 74
X. *Vtrum materia possit cognosci absque habitudine ad formam.* 76
XI. *Vtrum materia sit generabilis & corruptibilis.* 79.

QVAESTIO QVINTA.

De principio formali intrinseco.
ART. I *Vtrum forma naturalis sit nobilior composito.* pag. 81.
II. *Vtrum aliquæ formæ physicæ educantur de potentia materiæ.* 84.

INDEX QVAESTIONVM

QVAESTIO SEXTA.

De principio priuatiuo rerum naturalium.

ART. I. *Vtrum priuatio distinguatur realiter à materia.* pag. 87.

II. *Vtrum priuatio sit vna pro omnibus formis sicut est vna materia.* 91

QVAESTIO SEPTIMA.

De qualitate Naturæ & illius speciebus.

ART. I. *Vtrum definitio naturæ sit congrua.* pag. 96.

II. *Vtrum natura prædicetur vniuocè de materia & forma.* 99

III. *Vtrum motus corporum cœlestium sit naturalis.* pag. 103.

QVAESTIO OCTAVA.

In qua ostenditur quomodo se habeat Physica & res naturales ad alia Entia.

ART. I. *Vtrum Entia naturalia distinguantur ab artificiatis.* pag. 107

II. *Vtrum ars possit efficere opera naturæ.* 110

III. *Vtrum ars imitetur naturam.* 115

IV. *Vtrum scientiæ mediæ inter Physicam & Mathematicam, sint magis Physicæ.* 117

QVAESTIO NONA.

De causis rerum naturalium in communi.

Art. I. *Vtrũ causa Physica distinguatur à principio.* 124

II. *Vtrum causarum genera sint quatuor.* 127

III. *Vtrum idẽ numero effectus possit procedere à pluribus causis totalibus.* 130

IV. *Vtrum causa in actu & effectus in actu simul sint & non sint.* 133

QVAESTIO DECIMA.

In qua de singulis causarum generibus sigillatim disputatur.

Art. I. *Vtrũ recipere formã sit causalitas materiæ.* 136

II. *Vtrum causalitas formæ sit dare esse.* 139

III. Vtrum actio sit causalitas efficientis. 143
IV. Vtrũ accidens possit producere substantiam. 145
V. Vtrum causa instrumentalis habeat aliquam actionem propriam circa effectũ principalis agentis. 148
VI. Vtrum mouere metaphoricè sit causalitas finis 153
VII. Vtrum animalia bruta agant propter finem cognitum sub ratione finis. 156

QVAESTIO VNDECIMA.

De causis per accidens.

ART. I. Vtrũ fortuna sit causa determinata. pag. 160
II. Vtrum fatum debeat poni in rebus. 163
III. Vtrum ex influxu cœlorum dependeant mores & ingenia hominum. 167
IV. Vtrum causæ naturales intendant monstra. 170

QVAESTIO DVODECIMA.

De concursu Dei ad actus, naturales, liberos, & contingentes.

ART. I. Vtrum Deus concurrat cum causis secundis ad quamlibet earum operationem. pag. 174
II. Vtrum concursus ille sit Deus. 178
III. Vtrum motio Dei actualis sit influxus in causam, vt in eius operationem tantùm. 181
IV. Vtrum Deus prædeterminet voluntatem creatam physicè ad quamlibet operationem 185
V. Vtrum voluntas mota a Deo per auxilium efficax, possit resistere & non conuerti. 188.

QVAESTIO TERTIADECIMA.

De mutatione physica & motu.

ART. I. Vtrum motus sit actus Entis in potentia secundum quod in potentia. pag. 196
II. Vtrum motus distinguatur realiter à termino. 199.

QVAESTIO QVARTADECIMA.

De natura actionis physicæ & illius subiecto.

ART. I. Vtrum actio & passio sit vnus numero motus. 202
II. Vtrum actio transiens sit in agente. 209.

QVAE-

QVAESTIO QVINTADECIMA.
De natura Entis infiniti.

ART. I. *Vtrum spectet ad Philosophum naturalem agere de infinito.* pag. 211
II. *Vtrum per vires causarum naturalium possit dici aliquid actu infinitum.* 213
III. *Vtrum per absolutam Dei potentiam possit fieri infinitum in actu.* 217
IV. *Vtrum infinitum in potentia secundum perfectionem essentialem fieri possit.* 220.

QVAESTIO SEXTADECIMA.
In qua natura & affectiones loci explicantur.

ART. I. *Vtrum locus sit superficies.* pag. 227
II. *Vtrum locus sit per se immobilis.* 231
III. *Vtrum locus debeat esse æqualis locato.* 234

QVAESTIO DECIMASEPTIMA.
In qua ostenditur quomodo res quæcumque in loco sit.

ART. I. *Vtrum substantiæ incorporeæ existant in loco.* pag. 237.
II. *Vtrum supremum cœlum existat in loco ratione partium.* 241
III. *Vtrum singula Elementa proprium sibi locum vendicent.* 244
IV. *Vtrum duo corpora possint esse simul in eadem loco.* 248
V. *Vtrum idem numero corpus possit esse simul in pluribus locis per Dei potentiam.* 252

QVAESTIO DECIMAOCTAVA.
De natura & ratione Vacui.

ART. I. *Vtrum Vacuum possit fieri in Vniverso per vires naturæ.* pag. 258.

II. V-

II. Vtrum substantiæ separatæ possint vacuum efficere naturali habitu. 261
III. Vtrum aliquid possit moueri localiter in vacuo si daretur. 264
IV. Vtrum si quid moueretur per vacuum, moueretur in instanti. 267
V. Vtrum Deus existat in locis imaginarijs extra Vniuersum. 270.

QVAESTIO DECIMANONA.

De his quæ ad naturam Temporis spectant.

ART. I. Vtrum Tempus sit aliquid reale extra intellectum. pag. 276.
II. Vtrum tempus sit numerus motus secundum prius & posterius. 279
III. Vtrum tempus distinguatur à motu supremi Cœli realiter. 282
IV. Vtrum tempus sit in primo mobili tanquam in subiecto. 285
V. Vtrum sit vnum numero tempus omnium temporalium. 288
VI. Vtrum sit idem numero instans in toto tempore. pag 291.

QVAESTIO VIGESIMA.

De diuisione motus in species.

ART. I. Vtrum motus quilibet sit de subiecto in subiectum. pag. 297.
II. Vtrum motus ad tria solum prædicamenta terminetur. 299
III. Vtrum motus sit aliquid vniuocum ad omnes mutationes in particulari. 302
IV. Vtrum motus possit esse ad relationem tanquam ad terminum. 304.

QVAE-

QVAESTIO VIGESIMAPRIMA.

De vnitate & oppositione motuum.

ART. I. *Vtrum motus desumat virtutem specificam à termino.* pag. 307
II. *Vtrum vnitas numeralis motus desumatur ex vnitate mobilis, termini, & temporis.* 309
III. *Vtrum illi motus sint contrarij qui sunt ad terminos contrarios.* 312
IV. *Vtrum corpus quod mouetur de vno contrario in aliud, moueatur vnico motu vel diuersis.* 315
V. *Vtrum motus contrarietur quieti.* 318.

QVAESTIO VIGESIMASECVNDA.

De compositione Entis continui ex partibus.

AR. I. *Vtrum in omni continuo inueniantur aliquæ Entitates indiuisibiles realiter.* pag. 323.
II. *Vtrum indiuisibilia sint actu in continuo.* 320
III. *Vtrum indiuisibilia distinguantur inter se realiter & à continuo.* 329
IV. *Vtrum continuum componatur ex indiuisibilibus.* pag. 332.

QVAESTIO VIGESIMATERTIA.

De his quibus videtur motus inesse & non inest.

ART. I. *Vtrum motus possit fieri super aliquo indiuisibili.* pag. 335.
II. *Vtrum indiuisibilia separata à continuo possint diuina virtute moueri.* 337
III. *Vtrum motus possit fieri in instanti per Dei potentiam.* 340

QVAESTIO VIGESIMAQVARTA.

De ordine mouentium & mobilium.

AR. I. *Vtrum omne quod mouetur ab alio moueatur.* pag. 347.

II. V-

II. *Vtrum grauia & leuia moueantur ab alio.* 391.
III. *Vtrum mouens & motum debeant esse simul.* 393
IV. *Vtrum aliquid possit agere in rem distantem vbi nõ est præsens per Dei potentiam.* 397.

QVAESTIO VIGESIMAQVINTA.

De comparatione motuum adinuicem.

ART. I. *Vtrum ad solas tertias speciei qualitates sit alteratio.* pag. 400.
II. *Vtrum in sola specie infima possit fieri comparatio.* 403.
III. *Vtrum omnis motus cuilibet motui sit comparabilis.* 405.

QVAESTIO VIGESIMASEXTA.

De principio durationis totius Vniuersi & motus.

AR. I. *Vtrum Vniuersum semper fuerit cum tempore.* pag. 410.
II. *Vtrum mundum ab æterno extitisse rectè probauerit Philosophus* 414
III. *Vtrum mundum incœpisse sit articulus fidei expresè credendus.* 418
IV. *Vtrum possibile fuerit per Dei potentiam aliquid creatum ab æterno produci.* 420.

QVAESTIO VIGESIMASEPTIMA.

De modo emanationis rerum à prima causa.

AR. I. *Vtrum creatio actiuè sumpta sit actio transiens, necne.* pag. 424.
II. *Vtrum creatio actiua existat ab æterno in Deo* 427

QVAESTIO VIGESIMAOCTAVA.

In qua conditiones quorundã motuum explicantur.

AR. I. *Vtrum motus localis sit prior alijs motibus.* 431
II. *Vtrum augmentatio rei viuentis sit motus continuus.* pag. 433.

Vtrum

III. *Vtrum alteratio sit continua.* 436
Vtrum mobile quod reflectitur, necessariò quiescat in puncto reflexionis. 439
IV. *Vtrum in proiectione corporis motu violento, imprimatur aliquis impulsus à proiciente.* 441

QVAESTIO VIGESIMANONA.

De inuentione æterni Motoris.

I. *Vtrum sit vnum tantum creationis principium.* pag. 443.
II. *Vtrum primus motor sit immobilis.* 446
III *Vtrum primus motor habeat durationem aternam, atque adeò sit impartibilis.* 448
IV. *Vtrum primus motor liberè moueat, vel ex necessitate naturæ.* 451
V. *Vtrum primus motor vbique sit in via Aristotelis.* pag. 452.

FINIS.

INDEX

IN VNIVERSAM ARISTOTELIS PHYSICAM PRAEFATIO.



Actenus de Logicâ dictum satis reor. Adest iam alterum volumen & altera pars Philosophiæ, quæ vulgò Physica *nuncupatur, in cuius cognitione antiqui Sapientes summoperè elaborârunt, quibus illa vicissim ingentia præstitit beneficia, partim vtilitates afferendo maximas ex ipsa rerum pulcherrimarum meditatione, partim etiam ad virtutes quibus benè beatèq; viuitur, excitando. Quod enim iucundius spectaculum esse potest, quàm totius naturæ consideratio, quàm perspicere cælum, terras, rerumq; omnium principia, & in ea vnde generentur & quò recurrant, quid in illis mortale & caducũ, quid diuinum & aternũ sit videre, ipsum* Vtilitates Physiologiæ.

denique primum Motorem attingere, quem Deum glorioſum dicimus? Quocirca ille mihi videtur aliquos progreſſus feciſſe in Philoſophia, qui Ariſtotelem in hac facultate differentem intellexerit, eũque & nocturna manu ſæpiſſimè euolue-rit. eatenus enim dicũtur Opera Auſcultatoria, *quia attentiori meditatione indigent. Sed priuſquam ad Ariſtotelem interpretandum noſtrum conuertamus orationem, operæprecium duxi ea præmittere, quæ ad Philoſophiæ vim & naturam intelligendam conducunt, ita enim facilius quæ ſit litera Ariſtotelis, quæ illius mens & ſententia poterimus comprehendere. Sit igitur*

QVAESTIO PRQOEMIALIS.

In qua de vnitate, & Obiecto Philoſophiæ naturalis & partium eius differitur.

ARTICVLVS I.

Vtrum Philoſophia naturalis ſit ſcientia neceſſaria?

Arg. I. VIDETVR *quod non. Primò* Scientia non eſt niſi de iſtis Obiectis quæ aliter ſe haberenon poſſunt, corruptibilium enim nec demonſtratio nec ſcientia datur. Sed Phyſica eſt de huiuſmodi rebus quæ aliter ſe poſſunt habere, Ergo nullo modo eſt ſcientia neceſſaria. Minor eſt euidens, tractat enim de homine, de motu, tempore, & huiuſmodi.

Se-

Secundò. Philosophia naturalis multa docet contra fidem. Non igitur est necessaria, sed perniciosa Christianæ reipublicæ. Antec. ced. Nam in ea versatus negabit corpus Christi verum in hostia latere, Virginem parere incorrupta manēte, Mundum esse creatum ex nihilo, eò quod naturis rerum ista omnia videantur contraria. *Arg. II.*

Tertio. Apostolus dicit ad Coloss. 2. *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi,* vbi Diuus Paulus teste Hieron cōtra Physicos loquitur, quorū omnis disputatio de elemētis est. Ergo. *Arg. III.*

RESPONDEO. Quod vt facilius hunc Artic. possis dissoluere, proponendi sunt in primis modi quibus aliquid dicitur necessarium. Cùm itaque necessarium ex aliquo genere causæ dependeat, quia frustrà nihil habet necessitatem seu propter aliquid aliud, hinc est quòd sicut quatuor sunt causarum genera, totidem erunt modi necessitatis. Quædam igitur dicuntur necessaria à causa efficiente, quia fiunt per violentiam & coactionem, sicut lapidem proiectum sursum, necesse est ascendere. Alia ex materia, quæ ratione ipsius aliter se non possunt habere, vt hominem esse corruptibilem, quia constat ex qualitatibus contrarijs, est necesse. Deinde ex forma, quo pacto hominem dicimus risibilem; quia est rationalis, ignem calidum, &c. Tandem ne- *Necessarium quot modis dicatur.*

cessitas respectu finis duplex est: nam quædam sunt ita necessaria, sine quibus nullo modo possumus finem comparare, v. g. alimentum & respiratio sunt animali necessaria ad viuendum, quia sine illis viuere non potest, & alia ita se habent, vt sine ipsis possimus finem adipisci, non tamen ita commodè, sicut equus est necessarius ad iter agendum, quamuis absolutè possemus absque illo iter facere. Hoc igitur supposito, dico quod Philosophia naturalis non est hominibus necessaria necessitate sumpta à causa efficiente, quia non per vim aut coactionem humano intellectui conuenit; neque à materia, alioquin de naturis rerum discurrere esset etiam brutis commune (quorum enim est materia communis, effectus etiam communis) sed est necessaria propter inclinationem ipsius formę, cuiusmodi est anima rationalis habens generalē quēdam appetitum ad acquirendas scientias à natura sibi inditum & à se dimanantem. omnes enim homines naturali impetu scire desiderant, & ex cognitione effectuum intelligere causas, hoc autem est discurrere de vno in aliud. Egregiè etiam hæc scientia suppeditat cognitionem Dei & Substantiarum separatarum, in qua finis noster naturalis consistit. Cæterum supernaturalis, est clara Dei visio vt in se est, & ad hunc finem commodiùs cōsequendum cuilibet homini priuato est necessaria huiusmodi facultas, quia cognitio

Philosophia naturalis quatenus necessaria.

entium

entium naturalium rapit quodammodo voluntatem ad amandum Deum, ad probitatem vitæ, & si quæ sunt alia. Ergo falluntur maximoperè Hæretici, qui Philosophiam & omnes ingenuas artes à Christiana religione arcendas esse volunt, hæc enim mulier est, inquiunt illi, quam Apostolus in Ecclesia Dei iubet tacere

Conclusio. Philosophia naturalis est necessaria cuilibet homini ab intrinseco. Probatur. Cuilibet homini innatum est progressu quodam ac discursu rerum veritates peruestigare, & ex notis ad ignota procedere; sed Philosophia naturalis hoc totum subministrat, Ergo est necessaria.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem. Quæ aliter se possunt habere, *Per se & primariò*. Nego; *Per accidens & propter aliud*, ratione videlicet particulariũ in quibus sunt vniuersalia, Concedo. *Ad 1. Arg.*

Ad secundum. Nego Antecedens. Nam verum non est contrarium vero, & quia lumen naturale nostri intellectus inclinat ad cognitionem veri, & ex altera parte lumen fidei, quorum vtrumque est à Deo auctore scientiarum, idcircò Philosophia nihil tradit contrarium fidei, sed ipsum lumen fidei superat lumen naturale. *Ad 2.*

Ad tertium, Dico quòd in præfato loco non impugnat Aristoteles hanc Philosophiam, sed falsam, hæc enim cum iudicio naturali ex di- *Ad 3. An Fidei contraria.*

metro pugnat, vt apparet in Epicureis, qui negabant prouidentiam in Deo, vt vltimam hominis felicitatem.

ARTICVLVS II.

Vtrum de rebus naturalibus possit dari scientia?

Arg. I. VIdetur quod non. *Primò.* Illud quod scitur debet existere in intellectu, cuius scientia est qualitas. Sed Entia naturalia non possunt in intellectu existere. Ergo de illis non est scientia. *Minor probatur.* Quidquid enim concipit intellectus est verum, incorruptibile & necessariũ, quod Enti Physico non conuenit, teste experientia.

Arg. II. *Secundò.* Medium ad acquirendam scientiam est definitio Subiecti, vt *in 2. Poster.* fusius explicatum & probatum est. Sed nullum Ens naturale potest definiri. Ergo de eo est scientia. *Minor patet*, quia definitio est naturæ simplicis. Quodlibet autem Ens Physicum habet materiam, formam, qualitates sensibiles, motum, & plura alia realiter abinuicem distincta.

Ens naturale quid. *Respondeo.* Quod res naturalis propriè dicitur compositum ex materia & forma, vel accidens quod ratione illorum est in composito, vt homo, magnitudo, & risibilitas. Quod tamen duobus modis intelligi potest, in communi

muni & in particulari; & quidem res Physica hoc vel illo modo considerata importat materiam & formam velut principales partes sui. nam si quis definiret Cœlum in vniuersali, dicendo, *Est* corpus rotundum quod mouetur ab intelligentia circulariter; &, Homo est aliquid constans ex corpore & animâ intellectiua, hoc idem de particulari cœlo & particulari homine verificabitur. Sed differunt in hoc, *Primò*: Quia res naturalis sumpta communiter nõ includit materiam & formam velut principia motus in exercitio, sed solum in actu signato, in peculiari vero includit, quemadmodum homo absolutè consideratus est risibilis & rationalis, sed nunquam ridet in communi nec ratiocinatur, quia istæ actiones prout exercitæ, sunt suppositorum. Petrus ergo ridet & risibilis est, ratiocinatur & est rationalis, mouetur & est Ens mobile. Differunt *secundo*. Quia res naturalis sumpta in communi est incorruptibilis, non enim habet motum sibi contrarium in exercitio, ac perinde perpetua est sicut ipse intellectus cui inhæret, receptum enim est in recipiente per modum recipientis, sed non in particulari, quia Petrus & ista rosa quam in manu tenes, non sunt perpetua. *Tertiò*, quia res naturalis in communi, apta est definiri, & consequenter sciri per modum Obiecti terminantis habitudinem scientiæ, cùm Medium in Demonstratione à priori

Duplex eius consideratio, et inter eam differẽtia triplex.

sit definitio. nescimus autem quid Petrus sit, & qualis hæc rosa, sed duntaxat particularium est sensus, & non cognitio directa, vt tecum Thomisticè loquar. Et per hæc notanda satisfacies argumentis si quæ occurrent.

Rerum naturalium est scientia.

Conclusio. De rebus naturalibus datur in rigore scientia. Probatur. Scire est rem per causam cognoscere, propter quam res est, quoniam illius causa est, nec contingit aliter se hoc habere. Sed Entia Physica prout in cõmuni considerantur, habent tales causas, Ergo, &c.

Ad I.

Ad primum igitur dicendum, *Distinguo Minorem:* Non possunt in intellectu existere, prout sumuntur à particulari, *Concedo*; in communi, *Nego.*

Ad II.

Ad secundum, Nego Minorem: quia licet Physicus diuersas res in Obiecto suo consideret, sub vnâ tamen ratione formali Entis mobilis. sed de hoc inferius.

ARTICVLVS III.

Vtrum Philosophia naturalis quoad omnes suas partes sit vna specie scientia?

Arg. I.

VIdetur quòd non. *Primò.* Illę scientię quæ abstractionibus differunt, specie differunt, quia vnitas specifica scientiæ ex vnitate Obiecti prout stat sub vnâ ratione formali, quæ est abstractio, desumitur. Sed partes Physicę considerant Obiecta sub diuersis abstra-

ſtractionibus Ergo diſtinguûtur ſpecie. *Minor probatur.* Nam in libris *de Cœlo* explicatur Ens mobile ſecundum locum, in libris *de Generatione*, mobile quocunque motu, & in libris *de Anima*, mobile per formam viuentem & animatam.

Secundo. Si Philoſophia naturalis non ſecatur in multas ſpecie ſcientias, Ergo ſciens libros de Anima, ſciret de Generatione: cuius tamen oppoſitum videmus. multi enim ſunt verſatiſsimi in vna facultate, & non in alia. *Arg. II.*

Tertio. Angelicus Præceptor *in 1. lib. Poſter. Lect.* 41 ſic ait: *Corpus mobile diuiditur in diuerſas formas & ſpecies.* Ergo & hæc ſcientia quę in illo explicando verſatur, (cum ſit Obiectum ſaltim principale) multiplex erit ſecundum ſpeciem, vt patet in Loco, Motu & Infinito. *Arg. III.*

Reſpondeo, Quòd de vnitate numerica in præſenti non quærimus: manifeſtum enim eſt, quod accidens indiuiduatur ex ſubiecto, ac proinde tot ſunt ſcientiæ Phyſicæ in mundo, quot Intellectus Philoſophorum: nec etiam de vnitate generica, quæ ex fine & modo attingendi Obiectum deſumitur, in quo ſenſu Practica ſcientia non eſt eadem cum Speculatiua; nam & hoc eſt euidens, cum partes Philoſophiæ naturalis ſint ſpeculatiuæ tantùm: ſed de vnitate ſpecifica. Vt autem hoc percipias, notare debes, quòd im- *Explicatur titulus articuli.*

posſibile eſt aliquas res inueniri, quæ ita ſint plures vt nullo modo ſint vnum: nam plura Indiuidua etiamſi in infinitum creſcant, ſunt vnius ſpeciei atomæ, plures ſpecies vnius generis ſubalterni, & plura ſubalterna vnius generaliſsimi. Accipe *domum*, hoc in Prædicamento Subſtantiæ eſt multiplex, quia ibi ſunt plura ligna, plures lapides, parietes, & alia huius generis: ſed in Qualitate eſt vnum, propter vnitatem formæ. *Monarchia* etiam ſiue *regnum* continet multas Prouincias, quælibet illarum multa oppida, oppidum multas plateas, platea domos, quælibet domus plures homines. ſic *Exercitus* non ex vno homine conſurgit de genere Subſtantiæ, ſed tamen in Quantitate eſt aliquid vnum, Puta in numero. Ne igitur mireris, quod in Philoſophia naturali comprehendatur Locus, Tempus, Materia, Cœlum, Anima, & ſic deinceps. hæc enim ſub eadem ratione formali conſiderantur, ſicut paries albus & niger. Sub eadem inquam ſpecifica. quæ eſt vna abſtractio à materia & motu particulari: cum hac verò vnitate abſtractionis per intellectum neceſſe eſt habere plures ſpecies intelligibiles Entium Naturalium, quod ideò dico, quia ſciens libros *de Cœlo*, eandem ſpecie habet ſcientiam cum illâ quæ eſt in libris *de Anima*, ſed hoc ipſo nõdum comprehendit libros *de Anima*, quouſque ſpecies intelligibiles illorum aſſecutus fuerit, quemadmodum apud Logicos ſunt *Prædicamenta*,

menta, & libri *Perihermenias*. Nec tamen ista scientia supponit pro collectione specierum, sed est habitus intellectualis disponens & inclinans eundem intellectum ad iudicandum de Conclusionibus sub ratione formali determinatâ, ipsa vero collectio est inchoatio quædam scientiæ.

Philosoph. naturalis est vna specie scientia.

Conclusio. Philosophia Naturalis quoad omnes suas partes est vna specie scientia. Probatur. Illa scientia est vna secundum speciem, quæ considerat suum Obiectum sub eadem ratione formali: sed Physica in omnibus suis partibus agit de Ente mobili, cuius ratio formalis est ipsa mobilitas abstracta. Ergo est vna secundum speciem.

Ad primum igitur dicendum, *Nego Minorem*, quia maior vel minor abstractio intra idem genus, non potest efficere diuersitatem specificam scientiarum, vt dictum est. *Ad I.*

Ad secundum. Nego conseq. quia vtrobique non sunt eædem species intelligibiles. *Ad II.*

Ad tertium. Dico quod D. Thomas non intellexit per Corpus mobile Obiectum Physicæ, sed materiam sensibilem, in qua explicanda & Philosophia naturalis & Mathematica versatur, sed diuersimodè. *Ad III.*

ARTI-

ARTICVLVS IV.

Verum Ens mobile sit Obiectum adæquatum Philosophiæ naturalis?

Arg. I. VIdetur quod non *Primò*. Subiectum cuiuslibet scientiæ comprehendit omnia quæ ibi sciuntur, vt color obijcitur visui, & comprehendit species quæ videntur ab oculo. Sed Ens mobile nõ comprehendit omnia quæ sciuntur à Philosopho naturali. Ergo nõ est illius Obiectũ. *Minor* patebit in processu librorum; agitur enim in Physicâ de materia prima, de terra, de anima, imò de primo Motore: quem appellamus Deum benedictum, vt in lib. 8. & hæc immobilia sunt.

Arg. II. *Secundò* Obliectum scibile habet vnam naturam, quia de Ente per accidens nulla est scientia nec definitio, vt de pariete albo. Sed Ens mobile est Ens per accidens. Ergo non potest esse Obiectum. *Minor est clara*, quia componitur ex Ente & mobilitate.

Arg. III. *Tertiò*. Prima passio Entium naturaliũ facit prædicationes ridiculas cum Ente mobili, Ergo illud nõ est Obiectũ. *Antecedẽs probatur*. nam Passio physica est motus, & hæc Propositio est ridicula, *Ens mobile mouetur*. ad quid enim dicis mobile si mouetur? & ignis calidus, si actu calefacit?

Diuisio Entis, &c. *Respondeo*, Quod sicut in Logicis docetur, Ens commune ad omnia Prædicamenta diuiditur

ditur in *Substantiam* & *Accidens*, per hoc quod est esse per se & in alio, nō tanquā per differētias quæ sint extraneæ ab Ente, sicut rationale & irrationale per respectū ad animal, sed per diuersos modos essendi. Esse enim per se cōpletum & perfectum, est modus Entis vt sic, qui constituit Substantiam, sed ab illa realiter non distinguitur: & esse in alio est de essentia Accidentis. Vnde si non haberemus hęc duo vocabula *Substantia* & *Accidens*, in tali casu possemus ponere loco Substantiæ *Ens per se*, & loco Accidentis *Ens in alio*, nequaquam significādo aggregatum ex diuersis realitatibus, sed vnam naturam tantùm, ac si pro Homine diceretur *Animal rationale*, quamuis non sit par ratio. Ita ergo est philosophandum in proposito. nam Ens creatum bifariam diuiditur, quoddam est mobile secundum omnem motum, aut aliquam eius speciem, vti est Generatio, Corruptio, Augmentatio, v. g. cœlum, homo, & paries: quoddam immobile simpliciter, vt Deus & Angeli. Hoc igitur Ens quod aptum est moueri secundum omnem motum aut aliquam eius speciem, accipit Angelicus Præceptor pro subiecto Philosophiæ naturalis, appellando ipsum *Ens mobile*, non quod sit aggregatum ex Ente & mobilitate, sicut paries albus, sed quia caremus vocabulo proprio, perindeque radicaliter est mobile & non formaliter, sicut Risibile pro formali est aptitudo hominis ad ridendum.

Ens mobile non importat aggregatū.

BIBL. Z.N.IM. OSSOLINSKICH

dendum, & pro fundamento, Animal rationale.

Ex quo tu collige, quod istud Obiectum est aliquid commune ad substantiam mobilem & Physicam, & Accidens similiter mobile, commune, inquam, secundùm rem. Materia verò & Forma non sunt partes subiectiuæ illius, sed essentiales, primò & per se; Corporis autē mobilis, Substantiæ naturalis, etsi quæ sunt alia, non in quantum huiusmodi esse dicuntur, sed vt sunt Entia mobilia, hoc est secundariò, quia & Materia est Ens mobile subiectiuè, & Forma terminatiuè. Caue igitur ne adhibeas fidem quibusdam recentioribus qui hæc omnia pro eodem accipi, & secundum conuertentiam dici affirmant, *Ens mobile*, & *naturale*, *substantia mobilis*, & *corpus generabile*: quos ego in hac prçsertim opinione potius peruersores doctrinæ Thomisticæ, quàm strenuos defensores nuncupauerim.

Nota.

Conclusio. Ens mobile est Obiectum adæquatum Philosophiæ naturalis. Probatur. Ingreditur definitionem adæquatæ passionis in Physica. Ergo est Obiectum Physicę. *Antecedens patet ex lib. 3.* Vbi Aristoteles definiendo motum sic ait: *Est actus Entis in potentia*, & hoc est Ens mobile.

Arg. I. *Ad primum* igitur dicendum, *Nego Minorem*: quia & materia prima est Ens mobile subiectiué, terra alteratiuè: & Deus efficienter, siue ex-

extrinsecè, causat enim motum & ipsas res mobiles. Anima verò coniuncta corpori non nisi per accidens mouetur, id est ad motum corporis.

Ad secundum. Nego Minor. Illa enim compositio est ex terminis tantùm & nō naturis; propter penuriam vocabuli, vt dictum est, inuēta. *Ad II.*

Ad tertium. Nego Anteced. non enim superfluè additur *Mobile* Enti quod mouetur, sed vt per hoc complexum radicem & fundamētum mobilitatis circumloquamur. *Hæc de Proœmio.* *Ad III.*

IN PRIMVM LIBRVM ARISTOT. DE PHYSICA AVSCVLTATIONE QVAESTIONES.

SVMMA TEXTVS IN PRIMA parte.

PRIMA CONCLVSIO. *In Philosophia naturali inchoandum est à determinatione Principiorum. Probatur.* In omnibus scientijs quarum sunt principia, causæ, & elementa, intellectus procedit ex illorum cognitione. Sed Philosophia naturalis est de huiusmodi naturis quæ habent principia. Ergo, &c. *Concluſ. 1*

Methodus procedēdi in Physica

Secunda Conclusio. Ordo tractandi de principijs ille congruus est, quando ab vniuersalibus ad particularia proceditur. Probatur. Cognitio hominis *Concl. 2.*

minis habet hoc ex naturâ, vt à notioribus nobis ad ea quæ sunt minùs nota procedamus: non enim sunt eadē nobis & naturæ nota: Sed illa quæ sunt vniuersalia & cōfusa sunt magis nota. Ergo ab vniuersalibus procedendū est. *Minor patet in exemplo*, quia totū prius se offert sensui in confuso, quam partes distinctè, vt prius quis à remotis videt turrim, quàm lateres distinguat, prius arborem quam ramos, hominem quàm membra.

Sententia Antiquorū de Principijs.

Tertia Conclusio. Antiquiores Philosophi non eodem modo senserunt de Principijs rerum naturalium. Probatur. Nam opinio Parmenidis & Melissi fuit, Principium rerum naturalium Vnum tantùm esse & immobile, licet Parmenides docuerit finitum, Melissus infinitum. Contra quos disputandum non est, quia illorum opinio destruit Principia Physicæ; si enim vnum est principium, profectò Entia Physica sunt vna eademque res, quia illud ex quo fit aliquid, & alterum quod fit ex eo, vna res sunt secundum substantiam. Alij verò docuerunt vnum esse principium finitū, & hoc vel ignem, vel aerem. Quidam denique infinita, ex eo quod antequam res naturales existerent, prius erat quoddam confusum Chaos, in eorum sententia, vbi continebantur particulæ infinitæ omnium eorum quæ sunt: deinde superuenit Mens & Deus, qui distinxit species rerum, congregādo particulas ad certas naturas.

Sed

ratione qua est infinitum, est incognitum. vnde etiam quælibet res naturalis determinat sibi certam magnitudinem & paruitatem. Ergo & Principia si essent infinita, non essent cognita, quod tamen repugnat, cùm debeât esse magis & prius nota. Ergo antiquiores Philosophi in eodem modo, &c. *Hæc summatim ab Arist. ponuntur in Textu.*

QVAESTIO PRIMA.

De modo procedendi in Physica.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Philosophia naturali debeamus procedere à Principijs rerum & Elementis.

VIDETVR quod non. *Primò.* Si in Philosophia naturali à Principijs, causis, & Elementis, procedendum esset, hoc certè ideò, vt seruemus ordinem naturæ quæ in rerum productionibus similiter procedit, teste Philosopho. Sed hæc similitudo non valet, Ergo à principijs non est inchoandum. Minor, quia ordo cognitionis est contrarius ordini productionis, & quod prius cognoscitur, vltimò producitur, v. g. artifex in primis totam domum facere intendit, & nihilominus à solo fundamento incipit.

Secundò. Contingit scire causas rerum naturalium & principia per effectus. Ergo hæc

Propositio non est vniuersaliter vera, quod in omni scientia debeamus procedere à principijs & causis. Antecedens patet in ipsis Philosophiæ inuentoribus, qui deuenerunt ex cognitione Eclipseos ad interpositionẽ terræ, ex pluuia ad vapores resolutos, ex risibili ad rationale.

Principiũ Causa, Elemẽtum.

Respondeo, Quod ista tria, *Principium*, *Causa*, & *Elementum*, habent se tanquam superius & inferius, nam elementum est quid infimum, causa superior, & principium adhuc magis commune, vt propriæ singulorum rationes comprobant. Enimuero *Principium* vocatur illud à quo res incipit; *Causa* ad cuius esse sequitur aliud cum influxu; *Elementum* vero ex quo aliquid est tanquam ex materia. Pono exemplum. A puncto incipit fluere linea, proindeq; punctum est principium lineæ, sed nullo modo causa. AEdificator autem est causa domus, quia non tantum ab illo esse incipit, verumetiam per actionem productiuam influit in domum efficientiam ipsius. porro lignum est materia mensæ, sicut literæ sunt elementa dictionum. Omne ergo elemẽtum est causa, & omnis causa principium, sed non è cõuerso, quia in diuinis vna Persona est alterius principium, v. g. Pater filij, sed apud Latinos, non causa. Albedo vero est causa albi, sed nõ elementum. Sic de alijs causarum generibus poteris philosophari. Cùm itaque scire sit rem per causam cognoscere, notabis ex hoc motiuo

tiuo, quid Philosophus naturalis per omnia causarum genera demonstrat suas Conclusiones, quia illius passio propria est Motus, & hic est circa aliquod subiectum matetiale, ab aliquo agente, ad producendum formam, veluti terminum, propter aliquem finem. Mathematicus vero non progreditur per causam efficientem & finalem, sed per formam solùmodo, quia Obiectum abstrahit à materia, & consequenter à causa efficiente & finali, vt videre est in Triangulo, cuius materialem causam in qua recipitur, efficientem à qua est, & finalem propter quam est, non considerat. Cæterùm Metaphysicus assumit tres causas, Formam, Efficientem, & finem, imò etiam & Materiam, non vt est subiectum motus vel generationis (quia sic de illa tractare est munus Physici, qui motum & subiecta eius considerat) sed vt habet proprietates entis vt Ens est, quia est bona, aliquid, res: in quo sensu efficiés considérat non vt agit per motum, sed per simplicem emanationem.

Conclusio. In Philosophia naturali oportet procedere à Principijs, Causis & Elementis.

Probatur. Tunc quilibet existimat se aliquid cognoscere, quando scit causam Obiecti & principium. Sed Philosophia naturalis habet rationem perfectam scientiæ. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorem, quia ordo cognitionis confusæ est contrarius ordini naturæ, sed non distinctè, vt in exem-

plis adductis est manifestum.

Ad secundum, Distingue Artes: Contingit scire causas per effectus, quoad modum demonstrandi vnum per aliud, Concedo; Quoad modum procedendi & tradendi scientiam, Nego.

ARTICVLVS II.

Vtrum difficultas in rebus intelligendis ex parte rerum vel ex parte intellectus proueniat.

VIDETVR quod ex parte rerum *Primò.* Omnis potentia non impedita producit effectum quem suo modo potest producere, vt apparet in igne calefaciente manum, & in auditu percipiente sonos. Sed intellectus noster est potentia animæ quam nihil impedire potest. Ergo tota difficultas in intelligendo ex parte rerum enascitur.

Secundò. Aristoteles docet *in 2. lib. de Anima Cap. 4.* quod sicut se habet materia ad receptionem formarum, ita intellectus ad rerum cognitionem. intelligere enim est quoddam pati perfectiuum. Sed materia absque vlla difficultate ex parte sua recipit formas Ergo & intellectus absque difficultate omnia intelligit, sed si aliqua est, ex Obiecto quod concipitur sumit originem.

Tertiò. Si difficultas in rebus intelligendis non proueniret ex parte rerum sed ex intellectu, hoc ideò esset, quia sicut oculi vespertilionum

onum comparantur ad lucem Solis, ita intellectus ad immaterialia. Sed ista comparatio non habet robur, cuius autor est Philosophus *in 2. Metaph. cap. 1.* Ergo & primum est inconueniens. *Minor*. Potentia enim visiua in vespertilione læditur à vehementi lumine, sed intellectus à substantia spirituali nequaquam, imò frequentiùs cognoscendo fit aptior ad intelligendum.

Intellectus hominis qualis.

Respondeo. Quod intellectus hominis pro hoc statu est medius inter substantias separatas & Entia materialia. participat enim quodammodo de illis; quia si conferatur cum Substantijs immaterialibus, minus habet de actu & perfectione formali, plus autem de potentia: si verò cum Obiectis corporeis, est illis multò actualior & minus habet de potentia, namque res materiales generantur, corrumpuntur, de vna quantitate sensibili in aliam alterantur, quod intellectui nulla ratione conuenit, vnumquodque autem mouetur quatenus est in potentia ad formam & terminum motus. Vnde nonnisi cum difficultate intelligimus formas separatas, & etiam res materiales, sed differenter. nam in cognitione immaterialium difficultas ex debilitate intellectus prouenit & non ex Obiecto, quod facilè se ingerit animæ rationali, cùm sit omnino spirituale & simplex, sed illa est incapax ad penetrandum eius quiditatem, sicut lux solis effundit se in oculum vespertilionis & in eum

quodammodo illabitur, tamen propter debilitatem oculi non videtur. In percipiendis autem Substantijs materialibus & si quæ sunt illarum accidentia, ex parte obiecti prouenit difficultas; quia comparantur ad intellectũ vt crepuscula ad visum, in crepusculis autem parua lux inuenitur mixta cum tenebris, & in quolibet composito materiali exigua Entitas mixta cum non esse, quæ est potentia contrariorum & materia prima, vt inferius Deo auxiliante explicabitur. *Accipe pronunc exemplum.* Materia prima quæ est sub forma terræ, aliquando erit sub forma herbæ, quam si bos comederit, assumit formam bouis, postea sub forma hominis qui carnem bouis masticauit, rursus sepultum cadauer hominis vertitur in terram, & sic iugiter, manente materia sub formis diuersis.

Conclusio. Difficultas in rebus intelligendis partim ex intellectu prouenit, partim ex Obiecto,

Probatur. Vnumquodq; cognoscitur ab intellectu, quatenus est Ens in actu per formam, cùm eadem sint principia essendi & cognoscendi. Sed dantur Obiecta quæ habent formas imperfectiores intellectu, quemadmodum materialia, & quædam perfectiores, vt substantiæ separatæ. Ergo difficultas partim ex intellectu prouenit, partim ex Obiecto.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem, *Quam nihil impedire potest,* *Contrariè,* Concedo;

cedo; *Priuatiue* nego: quia intellectus existens in pura potentia, non est æquè dispositus ad Conceptum rei materialis & immaterialis, non per positionem alicuius contrariæ dispositionis, sed propter ordinem diuersum qui est inter ipsa Obiecta.

Ad secundum. Distinguo verba Philosophi, *sicut se habet materia ad receptionem formarum, ita intellectus ad rerum cognitionem*, simpliciter & quoad omnem modum *Nego*, secundum quid *Concedo.* Nam sicut materia prima est potentia ad recipiendum formas, & nullam ex illis habet congenitam; sic intellectus est potentia ad intelligendum, & nullam speciem intelligibilem ex materia sibi determinat: non currit autem prædicta similitudo in hoc passu, quod sicut materia absque difficultate recipit, ita intellectus intelligit. potentia enim materiæ est ad formam & esse, potentia verò intellectus ad operationem.

Ad tertium, Nego Minorem: illa enim comparatio est secundum quid accipienda, adeò vt sicut vehemens lux est Obiectum improportionatum, respectu oculorum vespertilionis, ita maximè intelligibile vt Deus & Angeli respectu nostri intellectus, qui à sensibus haurit cognitionem, & non est in organo corporeo, vt arguens intendit.

QVAESTIO II.

Circa opiniones antiquorum de Principijs.

ARTICVLVS I.

Vtrum Philosophus naturalis possit disputare contra negantes sua Principia.

VIDETVR quod sic. *Primò*. Inter alia principia Physicæ connumeratur hæc Propositio, *Motus est*. Sed probat eam Aristoteles, Ergo contra negantes Principia licitum est disputare. Minor ex eo patet quia *in 3. lib. Physic.* definit motum, esse *actum Entis in potentia secundum quod in potentia*. Medium verò Syllogismi Demonstratiui est ipsa definitio.

Secundò. Sicut se habet Metaphysicus ad propria principia, ita & Physicus ad ea ex quibus deducit Conclusiones. Sed iuxta communem opinionem, Metaphysicus disputare potest contra negantes sua principia. Ergo & Physicus. *Maior*. Nam quælibet scientia procedit ex principijs determinatis quæ in se causam Conclusionis continent.

Tertiò. Expresse in hoc loco Aristoteles magnam partem libri consumit in reijciendis Antiquorum opinionibus, in soluēdis eorum argumentis, & stabilienda veritate circa principia rerum naturalium ex propria sententia, Ergo.

Respon-

Respondeo. Quod principia Physica tribus modis diuiduntur. Quędam enim sunt principia *Entitatis & naturæ Physicæ* tantùm, quædam *cognitionis tantùm*, & alia *vtriusque simul*. Vocatur principium *Entis physici*, à quo res habet suũ esse, non tamen per illud cognoscitur, quemadmodum materia prima, Deus gloriosus, & Angeli qui assistunt cælis & causant in inferioribus motum, sunt principia rerum naturalium in essendo. quolibet enim horum cessante influere, non amplius manet Ens physicum: nec tamen cognitio rei naturalis dependet ex huiusmodi principijs, quia & materia secundum se ignota est, & Substantiæ affixæ orbibus nonnisi per effectus inuestigantur. De his principijs nulla est controuersia, licitum est enim disputare contra illa negantes, sicut de facto Aristoteles in præsenti lib. multis rationibus explicat naturam materiæ primæ & ab aduersarijs acerrimè defendit, in 8. etiam Physicorum demonstrat primum motorem esse. Illud autem est cognitionis & nõ Entitatis principium, quo mediante intellectus deuoluitur in notitiam rei naturalis, sed non ex eo res aliqua subsistit, & tales sunt qualitates sensibiles, vt calor in igne, risibilitas in homine, motus in corporibus, contra quæ negantes non præsumit Physicus disputare, alioquin adinueniret aliquid notius illis proprietatibus, quod tamen est falsum, cum omnis disputatio ex notioribus & prioribus proce-

Principia Physica quot modis diuidantur.

dat, nihil autem fieri potest notius hac Propositione, *Motus est*, vel *Ignis est calidus*, nisi forsan per habitum Metaphysicæ hoc attentaret. nam ille considerat substantiam, qualitatem, & modos Entis, ex quibus possunt formari discursus contra eos qui negant principia doctrinæ & cognitionis in hac scientia. Tandem principia *cognitionis & Entitatis* vocantur, propter quæ Entia naturalia existunt & aliqualiter cognoscuntur, vt formę substantiales omnium rerum, differentiæ generum ac specierum. Dixi, *aliqualiter*, quia istæ formæ innotescunt per suas operationes, & plurimæ ignorantur à Philosophis.

Conclusio. Non potest Philosophus naturalis disputare contra negantes principia doctrinæ seu cognitionis Physicæ. *Probatur.* Non est aliquid notius in Physica quam principia doctrinæ & cognitionis, vt dictum est. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorem. non enim semper res probatur esse quãdo definitur, imò vnius Obiecti non est definitio simul & demonstratio, vt *in 2. Poster.* explicauimus.

Ad secundum, Nego Maiorem si absolutè sumatur. in hoc enim discrimen est, quia Metaphysicus considerat Ens & modos generales Entis; ac proinde contra negantes principia disputat, quemadmodũ in hoc loco Aristoteles cõtra Parmenidem & Melissum ex principijs Metaphysicæ procedit; noluit autẽ differre hoc

re hoc negociũ ad Metaphysicã, quia de rebus naturalibus loquuti sunt non naturaliter. Per hoc patet *Ad tertium*.

ARTICVLVS II.

Vtrum totum distinguatur realiter à suis partibus simul vnitis

VIDETVR quod non. *Primò*. Si totum significaret tertiam aliquam Entitatem à pattibus simul sumptis realiter distinctam, interrogo, vel esset hæc Entitas substantia, vel accidens. Nihil horum. Ergo non distinguitur. *Minor*. Non enim potest esse accidens, quia totum Physicum substantia quædam est, ac proinde constitutiuum illius non desumitur ex alio genere. Neque substantia, quia talis Entitas aduenire Enti in actu, scilicet materiæ & formæ vnitis. Omne autem accidens est huiusmodi, quemadmodum albedo aduenit parieti qui actu existit, & calor manui.

Totum an à partibus distinguatur.

Secundò. Si totum significaret Entitatem aliquam realiter à partibus vnitis distinctam, sequeretur quod in omni Ente naturali esset duo tota, primum constans ex materia & forma, aliud verò ex illa tertia Entitate & partibus simul sumptis. Sed hoc est ridiculum & contra omnes Philosophos, alioquin vnum hominem nunquam mihi demonstrares, sed quilibet esset duplex compositum; neq; vnum lapidem. Ergo totum nõ distinguitur à partibus.

Tertiò

Tertiò. Ipse Angelicus Præceptor & Aristoles sic apertè hanc opinionem profitentur, vt apertioribus verbis nequeant illam explicare. Mitto innumeras auctoritates Philosophi in ipso 4. *Physic Cap.* 3. hæc verba habet: *Alio modo est aliquid in alio, vt totum in partibus, neque enim aliquid est totū quam partes* Et D. Thomas idem sentit *in* 4. *Contra gentes cap* 67. *&* 81. *&* p. p. Q 11. *art.* 2. *ad* 2. *&* *in* 4. *sent. Dist.* 44 *q.* 1. *art.* 1. *& alibi sæpius.* Ergo.

Totum quotuplex

Respondeo, Quòd Articulum præsentem excitarunt illæ dictiones *in Concl.* 3. positę: *Illud ex quo fit aliquid, & alterum quod fit ex eo, vna res sunt secundum subsantiam:* totum autem fit ex partibus, & consequenter videtur idem esse cum illis. Hoc vt resoluas, sciendum est, quod de toto vniuersali habente inferiora & partes subiectiuas de quibus in linea recta prædicatur non quærimus, quia manifestum est sola ratione distingui à partibus, cum de illis affirmetur essentialiter & in quid, *vt homo est animal.* Nec de toto potentiali quod subijcitur potentiis productiuis operationum vitalium, vt anima est subiectum intellectus & voluntatis, & homo sensuum externorum: realis enim est distinctio subiecti ab accidētibus Nec de toto essentiali metaphysico, quod constat ex genere & differentia, non tanquam ex duabus rebus tertia res, sed ex duobus conceptibus tertius conceptus, quia si illud non ex rebus est compositum, procul est à reali distinctione

ctione. Itaque de toto Physico instituitur sermo, siue illud sit integrale homogeneum, cuius partes eandem denominationem sibi vendicant cum suo toto, vt pars aquæ est aqua, & pars ignis ignis; siue heterogeneum, cuius partes aliter denominantur & definiuntur, vt animal constat ex ossibus & carne; siue etiam essentiale quod ex materia & forma consurgit, V. G. homo ex corpore & anima. *Dico* igitur, quod totum non dependet à partibus seorsum sumptis, nec quatenus vniuntur per modum cuiusdam aggregationis. nam humanitas non est forma animæ & corporis quatenus per solam aggregationem adunantur, sed in quantum habent vnionem per modum actus & potentiæ. sic enim, & non aliter, à forma totius informantur, suntque priores toto originaliter, sed completiuè posteriores, hoc est, ordine generationis & causę materialis; secundum quam attenditur processus de potentia ad actum, partes sunt priores toto, sed quia illud quod componitur habet se vt forma respectu suarum partium, à qua prouenit perfectio rei & complementum, ideò in genere causæ formalis, totum prius est suis partibus componentibus. Est ergo entitas realis quæ ex vnione partium enascitur, distincta ab ipsis realiter, non syncategorematicè, tanquam habēs aliquid in se quo mediante distinguatur, sicut homo ab equo; neque enim distinguitur per aliquam partem superadditam, quia implicat

dari

dari partem ſpecialem in toto præter omnes partes ſimul ſumptas, nec per aliquam proprietatem quæ poſterior eſt omni compoſito nihil autem diſtinguitur eſſentialiter ab alio per ſuum poſterius, nec per ipſam vnionem partis cum parte, quia illa eſt priuatio diuiſionis, aut forſitan relatio, quæ duo naturam totalem ſequuntur; ſed categorematicè, ſeipſo toto & non aliquo ſui. nam ſicut de natura partium eſt vt componant totum; ſic de natura totius eſt vt componatur ex partibus. Eſt ergo eſſentia compoſita & non componens, compoſita, inquam, non vt exiſtens ſupra partes, quia illud eſt ſupra alterum, quod includit ipſum & addit aliquid ſui ſupra illud, ſicut homo albus includit hominem & addit albedinem: totum autem non addit aliquid ſui ſupra partes, quia nec partem, nec paſſionem, nec vnionem. Deinde non eſt præter partes, quia illud eſt præter alterum, quod non eſt ipſum, nec è conuerſo ipſum eſt aliquid eius, ſicut equus eſt præter hominem: partes autē ſunt aliquid totius. Sed quod dico eſt hoc: Illud per quod ipſum totum non eſt omnes partes ſimul ſumptæ, nihil aliud eſt quam Entitas totius conſtans realiter ex partibus, vel ſi placet ita loqui, eſt quædam res præter partes, quia eſt Entitas quæ non eſt partes. Vnde omnes prædicationes in doctrina Ariſtot. & ipſius Angelici præceptoris, quæ aſſerunt partes eſſe totum, vel aliquid æquiualens, non in ſenſu iden-

identicè accipienda sunt, sed causandi, id est, quia faciunt totum. Scio reuera quod multi viri doctissimi etiam ex Schola Thomistarum genus hoc philosophandi capitali prosequantur odio, mihi tamen pro minimo est, vt in oppositа sententia iudicer cum ipso Diuo Thoma, cuius doctrina præsenti Articulo vix non de verbo ad verbum arridet. Citarem sanè loca ipsius luce clariora, sed ne filum Articuli rumpamus, & vt ratione idipsum persuadeamus, sit

Conclusio. Totum Physicum distinguitur realiter à partibus simul vnitis. *Probatur.* Dependet realiter à partibus, & est complementum ipsarum, velut quid perfectius & posterius, & distinguitur à toto vniuersali, quod est suæ partes, & non ex partibus. Ergo non est idem quod, omnes partes simul vnitæ.

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorem. Est enim substantia, aduenies materiæ & formæ simul vnitis per compositionem, & non per aggregationem, sicut album esse superuenit parieti habenti albedinem.

Ad secundum, Nego sequelam Maioris. nàm illa tertia entitas non componit cum partibus, quasi addat illis vnionem, partem, vel aliquid simile, sed est omnino composita.

Ad tertium, Explico verba Aristotelis, *Non est aliud totum quàm partes,* in sensu Identico *Nego,* Causali *Concedo,* hoc est, non

non habet aliam causam totum à qua proueniat intrinsecè nisi ipsas partes, & hoc est verissimum, vt explicaui *in Corpore*.

ARTICVLVS III.

Vtrum quælibet res naturalis habeat certum suæ magnitudinis terminum, ita vt non possit esse naturaliter sub maiori quantitate.

VIDETVR quod non. *Primò*. Ponamus hunc casum quod corpus humanum determinaret sibi certam magnitudinem, vltra quam non posset amplius crescere, vt dicis, & sit illa magnitudo 4. cubitorum. Tunc sic argumentor: Si daretur ille magnus homo per vires naturę, & poneretur in loco humido, aut eum quispiam in maxillis pugno percuteret, necessarium esset ipsum intumescere, & quantitatem illius extendi. Ergo signum est, quod causæ naturales non sibi determinãt certam magnitudinem & paruitatem.

Secundò. Corpora viuentia quantitatis beneficio extenduntur in partes, Ergo non obtinent certum suæ magnitudinis terminum Cõsequentia ex eo colligitur, quia quantitas extendi potest in infinitum, siue per diuisionem, siue per additionem.

Tertio Substantiæ inanimatæ augeri possunt in infinitum, sicut ignis, teste Philosopho

in

in *lib. 2. de Anima Cap. 4.* si tot illi combustibilia apponerentur. Sed idem est iudicium de viuentibus, cum extensio rei viuentis & non viuentis ad idem genus pertineat. Ergo vt prius.

Respondeo. Quòd inter augmentum rei viuentis & non viuentis, hoc est discrimen, quia augeri ab intrinseco conuenit viuentibus, virtute formæ substantialis, quæ medio calore conuertit alimentum in substantiam corporis: at verò non viuentibus ab extrinseco, siue per rarefactionem, vt dum aqua applicata ad ignem resoluitur in partes subtiliores: siue per appositionem, vt ignis propter combustibilia. Et quemadmodum ista duo differunt penes acquisitionem augmenti, ita non eodem modo se habent ad terminum magnitudinis. Res enim non viuentes nullum habent absolutè præfixum terminum, per accidens vero & ratione alicuius extrinseci habent, siue hoc extrinsecum sit locus à quo continentur, vt ignis est sub orbe Lunæ, aer sub igne, aqua sub aere, terra sub aqua; siue defectus materiæ combustibilis, vt apparet in eodem igne; siue actio contrarij, vt quando vnum Elementum prædominatur alteri, quia est magis actiuum. Cæterum omnia & singula viuentia habent præfixum terminum magnitudinis, ad quem si peruenerint, non possunt amplius per naturam crescere, & tales sunt plantæ & arbores, animalia aquatica & volatilia, bruta terrestria, & ho-

Augmentum rei viuentis & non viuentis.

& homines. Ratio huius est, quia ad determinatam formam sequuntur determinata accidentia, non tantum secundum genus aut speciem, verùmetiam secundum mensuram & extensionem, vnde nunquam vidimus hominem sua magnitudine cœlum attigisse, nisi forsan Poetarum figmenta de Atlante admittas, qui totam orbium cœlestium molem suis humeris videbatur sulcire, nec leonem ad altitudinem cupressi peruenire, aut formicam elephantis corpulentiam adæquasse. Quod si de potentia absoluta ipsius Dei interrogas, tunc nullum datur Ens maximum neque in viuentibus neque in non viuentibus, neque in accidentibus, neque in substantiis, neque simpliciter, neque in propria specie, sed dato quocunque Ente, potest fieri maius, nunquam tamen fiet infinitum, quia hoc non est factibile magis quam Chimera.

Conclusio. Quælibet res naturalis habet certum suæ magnitudinis terminum, vltra quem non potest amplius extendi. *Probatur*, ratione posita & explicata *in Corpore.*

Ad primum igitur dicendum, Nego Conseq. admisso illo casu, quia licet homo prædictus intumesceret, tamen ille tumor esset contra illius naturam: & de hoc non quærimus.

Ad secundum, Nego Conseq. potest enim qualitas præcisè considerata extendi in infinitum; sed ratione subiecti in quo est, & ratione formæ substantialis, ad quam consequitur, minimè.

Ad

Ad tertium, Distinguo Antecedens: Augeri possunt in infinitum; prout considerantur per se & absolutè *Concedo*, per accidens siue cum ordine ad extrinsecum, *Nego*, vt dictum est.

SVMMA TEXTVS IN secunda Parte.

Principia sibi contraria.

Prima Conclusio. Prima rerum naturalium principia sunt sibi contraria. *Probatur.* Quæcunque nec fiunt ex aliis, nec etiam ex alterutris, sed omnia ex illis, prima sunt principia, sed prima contraria sic se habent, quod nec fiũt ex aliis, neque ex alterutris, sed omnia ex illis, ergo prima contraria sunt prima principia, & per cõuersionem, prima principia sunt contraria. Maior est definitio primorum principiorum tam substantiarum quàm accidentium. Minor autem sic *Probatur*, quia prima contraria eo quod sunt prima, nõ fiunt ex aliis sed ex ipsis omnia, & quia contraria, non ex alterutris, neq; enim frigus vertitur in calorem, præterquam quod si fierent ex se inuicem idem esset causa & effectus suiipsius. Vnde etiam antiquiores Philosophi in eam sententiam declinant, vt videre est in Parmenide, qui calidum & frigidum appellando, ignem & terram posuit, Democritus plenum & vacuum, quorum aliud quidem vt *quod est*, aliud autem vt *quod non est*, *forma*, inquam, & *priuatio*.

Secunda Conclusio. Non est vnum principium rerum naturalium, nec infinita, nec plura aut pauciora tribus. *Probatur* prima pars. principia debent esse contraria vt dictum est, nihil autem sibiipsi est contrarium. Vnicum ergo esse non potest. *Secunda pars.* Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, sed generationes quotquot sunt, per finita principia possunt fieri. Ergo superflue infinita ponuntur. Maior patet in arte quæ est imitatrix naturæ, non enim pluribus vtitur instrumentis aut medijs, quam sint ad finem necessaria: idemque præstat medicus. *Tertia pars.* Principia rerum naturalium non sunt propriè & per se contraria, quia non sunt de genere alicuius accidentis, sed partes substantiæ cui nihil est contrarium. Ergo oportet vt sint cõtraria eo modo quo habitus, & priuatio, & ita est in rei veritate. Sed priuatio & habitus sunt circa aliquod determinatum subiectum, sicut cæcitas & visus circa eundem oculum. Ergo præter prima contraria, quæ sunt *forma & priuatio*, necesse est ponere tertium principium, puta subiectum vtriusque, quod est *materia*.

Materia & Priuatio quomodo differãt

Tertia Conclusio Principia sunt quodammodo duo & quodammodo tria, quodammodo contraria & quodammodo non. *Probatur prima pars.* Materia & priuatio idem sunt, & sola ratione duo, vt cum homo fit musicus, terminum ad quem, puta musicum, præcessit ho-

homo qui est subiectum, & immusicum priuatio subsequentis formę & terminus à quo. homo ergo & immusicum vnum sunt, sed ratione diuersa. alia namque hominis natura, & immusici alia, hoc est priuatio in subiecto apto. *Secunda pars ita ostenditur.* Ex tribus principijs duo sunt tantum vt contraria, eò quod simul non sunt, sed ad productionem vnius alterum expellitur. Quod autem quodammodo non sint contraria euidens est, quia tertium, puta materia, neutri est contrarium. Ergo.

Quarta Conclusio. Materia, quæ consistit in medio inter Ens & non Ens, & Priuatio, sola ratione differunt. *Probatur.* Materia de se nec dicit esse, quia per se non est, nec rursus non esse, quia non est negatio, sed potentia vt sit per formam habens esse, & cùm Ens significet esse, fit vt nec per se sit Ens sed per aliud, nec per se sit non Ens sed per accidens, vt caret hac vel illa forma, Priuatio autem est per se non Ens, quia ex natura carentiæ formæ à qua est esse, non vt pura negatio, sed in subiecto apto. Deinde materiam dicimus quidem propè & quodammodo substãtiam, quia est potentia ad esse per formam, ob idque compositionem ingreditur, priuatio nequaquam. Ergo.

QVAESTIO III.

In qua de Principijs in communi & eorum conditionibus disputatur.

ARTICVLVS I.

Vtrum Principia rerum naturalium sint contraria.

VIDETVR quod non. *Primò.* Principia rei naturalis sunt quædam substantiæ, quia ex accidentibus nonnisi Ens secundum quid componitur. Sed nihil est substantiæ contrariũ, vt in Logicis docuit Arist. Ergo principia non sunt contraria.

Secundò. Duo sequerentur absurda posito quod principia essent contraria. Primum est, corpora cœlestia posse corrumpi ab intrinseco. nam etiã ex principiis constant. & si est inter illa contrarietas, est via ad corruptionem. vnumquodque enim à suo contrario corrumpitur. Alterum inconueniens, quia hæc principia essent forma cum priuatione. nam materia cum prius sit sub priuatione, & deinceps sub forma, neutri illarum est contraria: quod tamen nõ potest sustineri, quia inter ista duo est oppositio priuatiua, quæ reuera non est cõtraria, neque enim album eo modo opponitur nigro, quo viuum mortuo. *Ergo.*

Tertiò. Principia intrinseca alicui, debẽt manere

nere in eo cuius sunt, vt parics & albedo sunt in albo. Sed contraria nequeunt simul in eodē existere, cum mutuo se expellāt. Ergo & prius.

Respondeo. Quod reprobatis opinionibus antiquorum, aggreditur Aristot. in hac secunda parte Opusculi propriam opinionē de principiis naturalibus *à quinto Cap.* quod totū aureū est, quippe veram Philosophiam & Physicum loquendi modum aperit. Vt autem ille finis oculis obiectus faciat litteram perspicaciorem, notanda sunt in præsenti duo vocabula, *Principia*, & *Contraria*. Sunt enim quædam Principia generationis & in fieri, sine quibus nullo modo esset perfecta generatio, vt Materia est subiectū in omni generatione, Priuatio terminus aquo. nam ex nō homine fit homo, & Forma, ad quem. Alia verò sunt principia rei genitæ siue in facto esse vel in facto Ente, sine quibus non subsisteret, cùm sint de illius essentia tanquam partes Physicæ, in quo sensu Materia & Forma dicuntur principia Entis geniti & producti. nam Priuatio transacto motu generationis mox euanescit. *Et hoc quoad primum. Contrarietas* etiam sumitur bifariam, propriè & communiter. Illa contrariantur propriè & secundum rei veritatem, quæ se habent velut duæ formæ de genere qualitatis, quæ mutuò se expellunt ab eodem subiecto, & in gradibus intensis nequeunt in eo subsistere, vt albedo & nigredo. Sed quoniam ex his qualitatibus vna est perfecta, & habet rationē formæ.

Principia generationis & rei genitæ.

Cōtraria propriè quæ.

altera verò imperfecta, & habet rationem priuationis. ideò translatum est nomen Contrarietatis ad designandam repugnantiam quę inter formam ex vna parte, & priuationem ex altera fieri solet. Vnde quando generatur ex non homine homo, est processus de priuatione ad formam, & consequenter de vno contrario communiter sumpto ad alterum. Vide igitur quod non sunt principia rei naturalis in facto esse contraria, quia forma non expellit materiam, sed in illa recipitur eamque perficit. Illa vero ex quibus est fieri & generatio, opponuntur secundum contrarietatem impropriam, sicut Forma & Priuatio, vt amplius erit manifestum in sequentibus.

Conclusio. Prima generationis principia sunt sibi contraria. *Probatur* ratione posita in *Textu*, & explicato in *Corpore*.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem, Nihil est substantiæ contrarium, Contrarietate propria & positiua, *Concedo*; Communi & priuatiua *Nego*. Vel si placet, distingue Maiorem, de principijs *in facto esse* admittendo, sed non *in fieri*. Priuatio enim nonnisi reductiuè est substantia.

Ad secundum. Nego sequi prædicta inconuenientia, nam corpora cœlestia non habent generationis & in fieri principia, cum sint à Deo ex nihilo creata: sola autem positiua contrarietas reperitur in accidentibus, de qua nihil ad præsens.

Ad

Ad tertium. Distinguo Maiorem; Debent manere, si sunt principia rei genitæ, *in facto esse*, concedo; generationis, & *in fieri* nego. Vt autem hoc manifestius percipias, sequitur

ARTICVLVS II.

Vtrum omnia rei naturalis principia sint contraria?

VIDETVR quod sic. *Primò.* Proprietates & conditiones primorum contrariorum conueniunt Formæ & Materiæ. Ergo sunt inuicem contraria. Antecedens patet, siquidem Materia nõ fit ex alijs principiis, cùm sit æterna, nec fit ex alia Materia vel Forma aut Priuatione, & omnia naturalia fiunt ex ea, vt in *Concl.* 1. *Textuali* docuit Arist.

Secundò. Contrariorum effectuum contrariæ sunt causæ, sicut albo & nigro non eadem prorsus forma correspondet, imo contrariæ. Sed Materia & Forma producunt contrarios effectus. Ergo. Minor inde colligitur quia Forma est principium essendi, & Materia non essendi. immaterialia namque non corrumpuntur.

Tertiò. Materiæ & Formæ conueniunt illa quæ dicuntur ab Arist. *in 2. lib. de Cœlo Text.* 18. Contrariorum si vnum fuerit in natura, & reliquum esse oportet. Sed Materia non

potest sine Forma existere, Ergo sunt inuicem contraria.

Respondeo, Quod circa hunc Articulum quidam olim publicus Theologiæ ac Metaphysicæ professor in florentissimo studio Neapolitano, vir aliàs doctissimus, vt eius codices demonstrant, opinatur omnia rerum naturalium principia esse contraria. Cuius Doctoris literam prius narrabo vt iacet, moxq; eam in forma redigam. Ait ergo in Additionibus ad Quæstionem Octauam Ferrariensem: *Per vitã meam nescio, quare omnes allucinantur in hoc, negando materiam esse vnum ex contrarijs. nonne etiã videmus, quòd formæ & materiæ conueniũt illa quæ dicuntur ab Aristotele, &c.* & postquã vidit hanc nouitatem esse contra Præceptorem Angelicum, & omnem torrentem Philosophantium, explicando se dicit, quòd non sunt contraria contrarietate priuatiua, vt habitus & priuatio, puta, cæcitas & visus; nec positiua, vt calidum & frigidũ; sed illa duntaxat quæ est secundum leges & attributa primorum principiorum, vt in præsenti enumerantur ab Aristotele. Sed pro resolutione sciendum est, quòd principia contraria duobus modis considerantur. Primò inquantum sunt principia absolutè, secundò inquantum contraria, vt ipsemet Arist. *in Tex.* 42. distinguit. Itaque conditiones primorum contrariorum conueniunt Materiæ & Formæ, vt sunt principia tantum, sed non vt contraria, videlicet non esse ex alijs, non ex alterutris, sed ex

sed ex ipsis omnia. Et hoc ita ostenditur: omnis siquidem contrarietas duorum extremorum est in aliquo subiecto quod nulli ex his contrarium est, vt nigrum & album in pariete, quod etiam existimat Aristoteles verificari de primis contrarijs prout in præsenti accipiuntur, cum *in textu 62.* ait: *Quòd autem substantia & quæcunque alia simpliciter entia ex subiecto quodam fiant, considerantì vtique fiet manifestum. semper enim est aliquid quod subijcitur, ex quo fit quod fit, vt planta & animalia ex semine.* Si itaque contrarietas Materiæ & Formæ est secundum leges præscriptas à Philosopho, proculdubio assignanda erit aliqua adhuc materia, quę extremis repugnantibus subijciatur, & hoc non est dicendum, quia materiæ non est alia materia, nec subiecti aliud subiectũ. Præterea quid aliud intendit *in tex. 67. A se inuicem contraria pati impossibile*? Soluitur autem hoc, propterea quòd aliud est subiectum, hoc enim contrarium, quare neq; plura contrarijs principia quodammodo, sed duo, vt sic dicam, numero? In his autem locis vbique loquitur de contrarijs secundum leges & conditiones primorum principiorum: & ita in eius doctrina, non omnia sunt contraria, sed tantum duo, tertium vero, puta Materia, simul est cum Priuatione, & postea cum Forma. Deniq; accedit nõ spernenda ratio, quia si conditiones Princip iorum in quantum contraria sunt, Materiæ

terię & Formæ conuenirent, eadem profecto esset oppositio formæ ad Materiam & Priuationem, sicut eædem conditiones manent, & hoc falsum est, quia Priuationi Forma opponitur, vt quod est ei quod non est, teste Philosopho in *Text.* 41. & si Forma est id quod est, cùm sit essendi principium, vtique Materia id quod non est, tanquam Priuatio Formæ, si autem hoc verum, quo pacto sustinet Formam?

Conclusio. Non tamen rerum naturalium principia sunt contraria. *Probatur*, desumendo rationem ex Aristot. qui de principiis agēs, intulit illa esse duo & nō duo, contraria & nō contraria; sunt enim duo, inquit ille, si rationem contrarietatis spectemus, & nonnisi tria si absolutè sumantur. Ergo. Sed iam oportet æqua mentis consideratione percurrere argument. Aquarij

Ad primum igitur dicendum. Distinguo Antecedens, Conueniunt, inquantum sunt conditiones principiorum, *concedo*; in quantum sunt contraria, *nego*: quia & Materia aliquo modo concurrit ad contrarietatem, cum sit illius subiectum, non autem quod ipsa sit alicui contraria. Vnde signum est prædictam Propositionem in qua dicitur, *Principia sunt contraria*, non Vniuersalem sed indefinitam esse.

Ad secundum. Distinguo Maiorem. Contrariorum effectuum sunt causæ contrariæ, per se & absolutè *Nego*; per accidens *Concedo*. Vnde potest esse eadem causa contrariorum, vnius per

per se, alterius per accidens, vt ab igne per se oritur calefactio illo præsente, & frigefactio quando est absens: similiter Sol idem manens indurat lutum & liquefacit cerã. Esse itaque & non esse sunt effectus formæ, sed diuersimodè; per vnionem ad materiam, esse; per separationem, non esse.

Ad Tertium: Nego Conseq. quia risibile nequit esse absque rationali, cui tamen non est contrarium.

ARTICVLVS III.

Vtrum principia rerum naturalium sint tantum tria.

VIDETVR quod non. *Primò*. Causa inferior est principio, vt dicetur inferius. Sed quatuor sunt causarum genera. Ergo & principia. Conseq fundatur super illo axiomate Logicorum, *Multiplicato inferiori necesse est superius multiplicari*. si enim quatuor homines statuas, erunt quatuor animalia, totidem viuentia, corpora, & substantiæ.

Secundò. Entia physica non tantum ex priuatione fieri solent, verum etiam ex alio contrario, vt calidum non solùm ex non calido, sed quandoque ex frigido & hoc est contrarium. Sed ex eo quia priuatio est terminus à quo, cẽsetur principium. Ergo & contrarium.

Tertiò Quod non est, non potest principium esse illius quod est, nemo enim dat quod non habet

habet. Priuatio secundum propriam naturam non est, cùm sit negatio formæ & Entis, res autem naturalis est id quod est. Ergo Priuatio non est principium.

Generatio & Ens generatum.

Respondeo, Quòd Ens naturale vtroque modo hic sumitur, tam in fieri quando generatur, quàm in facto esse, dum est genitum. Et sicut alia est definitio Entis geniti, & alia ipsius generationis (nam illud per materiam & formam definitur, generatio autem est mutatio de non esse ad esse) idcirco Materia, Forma, & Priuatio, diuersimodè sunt huius & illius principia. Manifesto hoc in singulis. *Priuatio* est principium Entis producti per accidens, quia in illo non permanet, sed sola Materia cum qua est idem, vt dicetur inferius: productionis autem per se est principium velut terminus à quo, sine illa etenim definiri nō potest, cùm sit mutatio de non esse. *Materia* verò principiat generationem per modum subiecti, rei autem genitæ non est subiectum sed pars essentialis; sicut *Forma* est terminus in omni generatione, sed in composito pars formalis, pro quanto actuat & perficit materiam. Sunt ergo tria, non numero, sicut Franciscus & Petrus, alioquin eandem haberent definitionem specificam; nec tria species, loquendo in rigore, quia nomine speciei intelligunt Philosophi naturam completam & perfectam, hæc autem principia sunt partes compositi, à quo distinguuntur realiter, vt dictum est; nec insuper genere, propter eandem

dem causam, quia nõ sunt integræ essentiæ, nec de illis principium vniuoce dicitur. Enti enim reali & rationis quid est vniuocum? priuatio autem Ens rationis est. Quocirca concludendum erit tria esse secundum analogiam, quia ratio principij absolutè sumpti prius de Forma dicitur, & deinde cum respectu ad illam de Materia & Priuatione. nam Materia non potest aliquid componere nisi prius Formam recipiat, & priuatio est negatio formę in subiecto, hoc est in Materia.

Conclusio: Principia rei naturalis tria sunt; Materia, Forma, & Priuatio. *Probatur.* Aut res naturalis significat ipsam generationem, aut rem genitam. Sed cũ ex aqua generatur ignis, præcisa generatio est ex non igne, siue ex priuatione ignis in subiecto, in igne autem genito non manet nisi Materia & Forma. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem. Quatuor sunt causarum genera, si loquamur de causis intrinsecis & extrinsecis, *Concedo*; intrinsecis tantum, *Nego.* respondent enim causæ intrinsecæ numero principiorũ, vt patet.

Ad secundum, Distinguo Maiorem. Fiunt ex contrario, vt contrarium est & per se, *Nego*; vt continet priuationem alterius & per accidens, *Concedo* Volo dicere, quod calidum non fit ex frigido, vt est frigidum formalissimè, sed prout est non calidum. & ista est priuatio.

Ad tertium, Distinguo Maiorem. Non potest esse principium eius quod est, per modum par

tis

tis & Elementi, *Concedo*; per modum termini à quo, *Nego. Vel aliter:* In fieri, vel in facto esse, per se, vel per accidens. Hactenus decreueram disputare de Principijs in communi; sed antequam vlterius textum exponentes procedamus, vtile erit speciales Tractatus de singulis instituere. Auspicabimur autem à Materia prima, quæ est subiectum & fundamentum aliorum, cuius etiam cognitio multum Physico necessaria est.

QVAESTIO IV.

De essentia & passionibus tam proprijs quàm communibus Materiæ primæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum materia prima sit Ens substantiale à Deo productum.

Materia prima an sit Ens substantiale.

VIDETVR quòd non. *Primò.* Materia prima non existit actu sed in potentia. Ergo non est Ens substantiale à Deo productum, quandoquidem ea quæ producuntur, actu existunt. *Anteced.* quia sola existente materia, nondum est res in actu, sed solum potest esse, quemadmodum & in artificiatis videmus, nondum enim ædificium est actu, posito quod habeatur eius materia.

Secundò. Materia ista Physica neque est substantia prima neque secunda. Ergo nihil est

à Deo

A Deo productum in genere substantiæ. *Probo antecedens.* Nullius accidentis potest esse subiectum immediatum, sed solius Formæ substantialis, alioquin *Ens secundum quid* prius esset secundùm naturam quàm *Ens simpliciter*. Prima autem substantia maximè & principaliter substat: neque est per se genus aut species tanquam Ens naturæ completæ & perfectæ; hoc autem est esse secundam substantiam.

Tertiò. Omne Ens quod à Deo ordinariè producitur, solet alicubi existere, potestque in sensu humano apprehendi vel ab intellectu. Sed Materia prima nullibi est, nec à quopiam sensu vel intellectu cognoscitur. Ergo non est quid productum. *Minorem sic ostendo.* Si est alicubi, ostende quæso locum ipsius, & ego subinferam esse corpus compositum, & non partem Physicam. Enimuero Locus est superficies corporis continentis aliud corpus. si apprehenditur sensu, diffundit à se qualitates sensibiles. & hoc dici non potest, quia, teste Philosopho, non est quid, nec quale, nec quantum. Si verò intellectu; habet ex sua natura aliquē actum & formam, quia nihil intelligitur nisi Ens in actu, quod potentiam mouet ad sui cognitionem, & hoc Thomista non admitteret.

Respondeo. Quod ad hoc vt planiorem ingressum ad totam hanc Quæstionem habeas, supponenda est inprimis definitio ipsius Materiæ, quæ apud Arist. *in text. 82.* habetur in hūc me-

modum: *Materia est primum subiectum vniusc uiusque, ex quo fit aliquid, cùm insit per se, non secundum accidens.* Ait, *primum subiectum*, ad differentiam accidentium, quorum subiectum quo est quantitas, vt albedo, est in superficie parietis; & subiectum quod, totum compositũ, id est, paries: Materia vero est subiectũ formæ substãtialis quæ præsupponitur accidentibus, ac proinde est aliquid primum in ratione subiecti. Additur, *ex quo cum insit fit aliquid non secundum accidens*, vt differat à Priuatione, quæ nec permanet in composito, nec per se ad illius existentiã concurrit, quia esse compositi non resultat ex esse priuationis sicut ex materia & forma. Hæc itaque Materia est aliquid extra nihil, à parte rei positiuè existens, non sicut Ens rationis, quia cõposita naturalia non fierent ex hoc principio. repugnat enim Enti reali vt componatur ex Ente rationis tanquã ex aliqua parte sui, sed est verè substãtia incompleta & partialis, quæ determinatur per formã, & ab ea realiter distinguitur, non secundum existentiã, quasi materia sit aliud existens & aliud forma, quẽadmodũ Petrus differt à Paulo, sed secundũ essentiã, quia sunt duę naturæ velut actus & potentia, licet vtriusque sit eadem existentia. nam sunt partes vnius compositi quod verè existit. Si autem interrogas, an sint Entia à Deo producta in tempore, vel à nullo penitus habeant esse, dico quod fieri & produci est via

ad

ad esse, illis ergo proprie conuenit produci quibus conuenit existere: & huiusmodi sunt completæ substantiæ: partes verò substantiarum non existunt vt quod, sed solum concurrunt suo modo ad integritatem rei totaliter existentis. Non itaque dici debent res productæ & creatæ, sed potius cõproductæ & concreatæ ad productionem compositorum.

Conclusio. Materia physica est Ens substantiale à Deo productum, licet impropriè. *Probatur*, ex S. Scriptura Sap. 11. *Omnipotens manus tua quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa, immittere illis multitudinem vrsorum.* Et D. August. lib. 12. Confess. *Duo fecisti Domine, vnum propè te, aliud propè nihil*, id est, Angelum & Materiam primã. Ratio verò est huiusmodi: Deus est causa Entis in quantum est Ens. Ergo est causa omniũ eorum quæ aliquo modo pertinent ad esse. sed materia prima est pars intrinseca Entis mobilis. Ergo.

Ad primum igitur dicendum. Nego Anteced. est enim potentia existens actu, sola autẽ existente materia, nondũ est res composita in actu, Sed hic subsiste, quia in sequentibus vim argumenti & solutionẽ illius clarè percipies.

Ad secundum. Distinguo Antecedens. Non est substantia prima nec secunda per se, concedo, reductiue nego. nam est pars compositi quæ completur per formam & à forma, non tanquam accidens à subiecto, sed tanquam potentia ab actu.

Ad tertium. Distinguo Minorem. Materia nullibi est, Per se & ex sua natura, concedo, per aliud & ratione compositi, nego, itaque sentitur per compositum, & ab intellectu concipitur cum analogia ad formam, quæ est vultus materiæ.

ARTICVLVS II.

Vtrum informitas materiæ præcesserit tempore formationem illius.

VIDETVR quod sic. *Primò.* Quando S. Scriptura mentionem facit omnipotentiæ diuinæ & productionis mundi, expressè fatetur quod Deus totum vniuersum produxerit ex quadam informi materia, quemadmodum *Genes. 1. Cap. Terra,* inquit, *erat inanis & vacua,* siue iuxta aliam versionem, *inuisibilis & incomposita.* Similiter *Sapient.* 11. vt in Artic. præcedente dixi. Ergo signum est quod materia fuerit aliquando informis antequam formaretur.

Materia informis an prior formatione.

Secundò. In operatione agentis physici informis Materia præcedit Formam. Ergo & in operatione ipsius Dei ita erat aliquando. causæ etenim creatæ imitantur Deum in agendo, inquantum possunt, V. G. artifex faciens lateres, videtur quodammodo exprimere Deum facientem lapides, & pictor repræsentat arbores & huiusmodi. *Antecedens* est manifestum

ſtum in omni generatione. nam leo producens leonem ſupponit materiam ſine forma leonis, alioquin productũ denuò produceretur: quod implicat.

Tertiò. Materia nobilior eſt accidente, quia eſt pars ſubſtantiæ. Sed poteſt Deus facere vt accidens ſit absque omni ſubiecto, vt patet in Sacramento altaris. Ergo potuit ab initio, vt materia eſſet ſine omni forma per aliquod tempus.

Reſpondeo. Quod circa hanc difficultatem variant Patres Eccleſiæ. Nam D. Auguſt. *in lib. 1. ſuper Geneſ. cap. 15*, tenet, in nullo inſtanti temporis materiam informem præceſsiſſe formationem, ſed ſimul productam fuiſſe cum formis: alij vero, vt Baſilius, Ambroſius, & Chryſoſtomus, docent contrarium. Pro reſolutione tamen ſciendum eſt, quod quia iſtud vocabulum *Forma* dicitur & *ab informando*, quia nimirum intus format materiam, velut perfectio & actus dans illi eſſe, quemadmodum anima rationalis in homine; & à *foris monendo*, quia dum ineſt rei, ipſam facit formoſam: ideo per oppoſitum informitas materiæ aut ſignificat carentiam omnis formæ, aut ſolius formoſitatis & pulchritudinis. Et quidem ſi in primo ſenſu accipiatur, impoſsibile eſt quod præceſſerit materia informis ſuam formationem, ita planè vt aliquando exiſteret absque omni forma. res enim actu exiſtentes ſubiacent tempori. quod ſi materia eſſet in tempore

sine forma, quomodo actu existeret? *Actus* enim & *forma* idem sunt, & consequenter existeret & non existeret: quod implicat. Cæterùm si accipiamus informitatẽ in secundo sensu, prout idem est quod *deformitas*; tunc pars affirmatiua est verior. nó enim materia à principio vniuersi habuit hunc decorem qui modo apparet in compositis, quia & cœlũ caruit pulchritudine lucis, & astra influxu in hæc inferiora, erant etiã tenebræ super faciẽ abyssi, terra inanis siue inuisibilis propter aquas vndiq; operientes, & alia huiusmodi. Et per hãc breuẽ notatiũculã diuersę Patrũ opiniones cõciliãtur

Conclusio. Informitas materiæ nunquã præcessit tempore formationem, sed naturâ tantum.

Probatur. Materia est pura potentia ad esse, & hoc illi necessario inest. nam aliter ex ipsa & forma nó fieret per se vnum. Ergo actus materiæ est forma. Ergo si pro aliquo tempore existeret per se informis, esset actu sine omni actu: quod est manifesta contradictio.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Conseq. De informitate substãtiali quæ est ipsa carentia formæ, *Nego*, accidentaria, *Concedo*, vt dictum est

Ad secundum: Nego Anteced. neque enim leo producens alterũ leonem supponit materiã informẽ simpliciter, sed sub alia forma numero, & ita improductum producitur.

Ad tertium, Distinguo Maiorẽ. Nobilior est accidente secundũ quid, *Concedo*, absolutè & si-

simpliciter, Nego. nam vt est quædam substãtia, est nobilior; vt autem pura potentia nullũ includens actũ, ignobilior. Vnde magis repugnat materiã esse absque omni forma, quàm accidens absque omni subiecto.

ARTICVLVS III.

Vtrum materia sit pura potentia.

VIDETVR quod non. *Primò.* Dictum est supra, quod materia est per se Ens reale, existens sine operatione intellectus, atq; adeò reale subiectũ formæ quam sustinet & conseruat, Ergo de se est actu Ens, & consequenter non est vera potentia. *Materia an Ens reale.*

Secundò. Si potentia esset intrinseca materiæ, sequerentur nonnulla incõmoda: Primum est, quod materia esset generabilis & corruptibilis, quod tamen aduersatur Philosopho *in ca. 9* huius libri. nam potentia quam res habet ad obtinendũ aliquid, eo adepto confestim esse desinit, alioqui simul res existeret in actu & in potentia. Deinde, quod materia non esset Ens simpliciter sed secundũ quid. quod enim est tale in potentia, non est tale simpliciter, vt albũ in potentia non absolutè albũ. Præterea, Omnis potentia est in Prædicamento *Ad aliquid*, vt visus dicitur respectu visibilis, non enim idẽ est in potentia ad seipsum, sed ad aliud, Ergo vt prius.

Tertiò. Materia ista Physica est aliquid distinctum realiter à forma. Sed quid-

quid ab alio distinguitur, actum includit & non est pura potentia. Ergo & materia est aliquis actus, vel ad minus habet intra se actum.

Respondeo, Quod nonnulli doctissimi arbitrantur materiam non esse puram potentiam sed in sua natura aliquem actum contineri, quo est aliquid à nihilo distinctum, & extra causas existens. Quam opinionem Scotus excitasse dicitur, apud quem *potentia* duplex est, *Obiectiua* & *Subiectiua*, similiter *actus* duplex, *Entitatiuus* & *formalis*. Vocat autem *potentiam obiectiuam*, omne illud quod nondum existit, sed potest poni in esse ab aliqua virtute cui quodammodo obijcitur, sicut rana generanda post aliquot menses, est nunc in potentia obiectiua motus cœlestis, & rosa in potentia radicis. Huic potentiæ correspondet actus Entitatiuus, & est illamet res iam producta, quæ aliàs habuit esse possibile præcisè. postquam enim producta est, habet esse in actu extra suam causam, qui actus *Entitatiuus* meritò appellatur. *Potentia* vero *subiectiua* est omne illud, per quod aliquid recipitur in altero vt in subiecto; iuxta quem modum illud quod est susceptiuum formæ substantialis vel accidentalis, habet potentiam subiectiuam, quemadmodum paries recipit colorem mediante superficie. Huic respondet *actus formalis*, qui est ipsamet forma substantialis vel accidentalis recepta in subiecto. Stante hac declarati-

Potentia duplex.

ratione terminorum, docuit subtilis Scotus, quod materia precisè sumpta ante sui productionem à Deo glorioso, habuit potentiã obiectiuam, postquam vero est producta, habet actum entitatiuum, quo mediante est extra nihil, extra causam, & intra sphæram Entium. Cum hoc tamen actu retinet adhuc potentiã subiectiuam ad diuersas formas. Et ita si habet actum entitatiuum ex sua natura, non est pura potentia. Sed quoniam Præceptor Angelicus & cũ eo Peripatetici celeberrimi multò subtilius philosophantur, idcirco eorũ vestigijs inhærendum est, ne postea cõtingat peccare in multiloquio. *Dico* igitur, quod apud Aristot. *in lib. 5. Metaph. Cap. 12.* duplex est potentia, *Actiua* & *Passiua*. Dicitur *potentia actiua* principiũm transmutandi aliud in quantũ est aliud, vt calor in igne habet virtutem ad calefaciendũ; *passiua* vero est principium ex quo aliquid transmutatur ab alio, sicut capacitas aquæ vel tabulæ ad recipiendum calorẽ ab igne. *Actus* etiam *formalis* duplex est, scilicet *Actus primus*, & est illa forma quam recipit ab agẽte subiectum, vt calor receptus in aqua actuat primariò aquam, & anima rationalis hominem: & *actus secundus*, qui est operatio iam exercita, vel aliquid per modũ operationis, sicut calefactio ab igne proueniens, est actus siue forma secunda ignis tanquam principij. Materia ergo prima non habet ex se aliquem actum Physicum, quia nullam sibi determinat

formam, sed potest vna reiecta alteram recipere, licet habeat propriam essentiam partialem, à qua est actu Ens, subsistantia, primum subiectum, pars compositi, capax omnium formarum. Vnde sequitur quod sit pura potentia, non actiua, quia vnumquodque agit quatenus est actu per formam; sed passiua, adeò vt ista sit eius differentia vltima, per quam secernitur ab alijs subiectis habentibus potentiam ad formas accidentales.

Conclusio. Materia prima nullum habet actũ entitatiuum intra suam naturam, sed est pura potentia. *Probatur.* Aut iste actus entitatiuus in materia est aliquid, aut nihil. Non secundum, quia non daretur. Ergo primum. Tunc interrogo: vel est accidens: & hoc non, quia talis actus est ipsa entitas materiæ, quæ saltem reductiuè ponitur in subsistantia: vel est subsistantia; & hoc etiam minimè, quia iuxta Aristotelis doctrinam *in lib. 2. de Anima*, subsistantia diuiditur in materiam, formam, & compositum, iste verò actus non est forma, quia iam diceretur formalis, neque compositum, alioqui materia constaret ex alijs principijs prioribus, quod est falsum. Ergo forsitan est ipsa materia essentialiter. & hoc ridiculum est, quia dicis materiam habere actum quasi seipsam. Ergo vera est Conclusio.

Ad primum igitur dicendum, Distinguó Conseq. Est de se Ens, Entitate essentiæ, *Concedo*; Enti-

Entitate existentiæ, *Nego*, cum nonnisi per formam existat.

Ad secundum. Nego quod sequãtur illa incommoda. Non primum, quia potentia ad aliquid obtinendum non semper deficit eo adepto. qui enim habet potentiam ad currendum vel ad videndum, non illã amittit quoties currit aut videt. Et sic est de materia respectu formæ quam recipit, solum enim priuatio abijcitur, cùm fieri nequeat, vt potentia actum simul eiusque priuationem in se habeat. Non secundum, quia est Ens simpliciter, pro essentia & natura, licet non pro existentia. Non tertium, quia potentia ad actum substantialem, substantia est, & sicut materia est vna, ita & potentia, quamuis secundum respectus quos importat, sit multiplex, propter multitudinem formarum. sed de hoc infra.

Ad tertium. Distinguo Maiorem: Est aliquid distinctum à forma, sumens distinctionem ab intrinseco, Nego; ab extrinseco, Transeat. Volo dicere quod illa propriè distinguũtur, quæ habent intra se diuersos actus & formas, cæterum materia & forma in nulla ratione vuiuoca conueniunt, sed sunt primò diuersa, velut actus & potentia.

(:)

AR-

ARTICVLVS IIII.

Vtrum appetitus materialis distinguatur realiter à materia.

VIDETVR quod sic. *Primò.* Illa distinguuntur realiter, quæ ita se habent adinuicem quòd vnum eorum multiplicatur altero non multiplicato. Sed appetitus & materia sunt huiusmodi. Ergo distinguuntur. *Minor.* Eadem enim materia permanens appetit plures formas, quia si non appeteret, nunquam reciperet.

Secundò. Appetitus materialis nihil aliud est, quàm inclinatio quædam ad formas substantiales. Sed materia non est idem quod inclinatio. Ergo. Minor debet esse certa, quia est substantia, vt antea fuit conclusum & probatum.

Appetitus materialis quid.

Tertiò. Adueniente forma, deficit appetitus materiæ; sed non deficit materia. Ergo sunt res diuersæ. Conseq. fundatur super illa Propositione, *Quando aliqua duo sic se habent quòd vno pereunte alterum remanet, illa realiter distinguuntur*, sicut albedo & paries.

Respondeo. Quod in materia Physica inueniuntur hæc quatuor cum ordine quodam, scilicet *aptitudo ad formam, priuatio formæ, appetitus, & potentia.* Per *aptitudinem* nihil aliud intelligitur quam proportio ad recipiendam formã. vnde etiam quando aliquis vestem conficit ad

In Materia physica quatuor reperiuntur.

vsum

vsum hominis, si congruè proportionatur ad illius staturam, dicitur bene aptata, id est, habens aptitudinem ab arte vt decenter operiat. Similiter in annulo efficiunt artifices quendam angulum per modum alicuius vasis, vt possit gemmam celare, sic de galea & capite alijsque huiusmodi philosophandum est. Volens itaque Deus conseruare rerum naturalium formas, quæ sunt valde mutabiles, adinuenit materiam, velut proprium & aptissimum receptaculum illarum, in quo est proportio & aptitudo. Licet autem hoc verum sit, nihilominus non omnes actu recipiuntur in illa, sed vna tantum, & tunc dicitur habere *priuationem* alterius, quæ est negatio *formæ* in subiecto apto. vbi enim nulla aptitudo, nulla quoque priuatio, sicut & lapis non dicitur cæcus priuatiuè; sed negatiuè, non videns. Exinde aliud tertium sequitur, videlicet *appetitus formæ*: & hunc priuatio causat. non enim quispiam appetit hanc rem quam de facto habet, sed nondum habitam, sicut & ipsa materia hominis non appetit formã hominis, sed cadaueris aut cineris. Postremũ est *potentia materiæ*, velut ratio & causa ob quam forma in subiecto recipitur. non enim reciperet, si esset impotens ad recipiendum. Considera igitur, quod ista quatuor sunt eadem res cum materia, licet sola ratione & conceptu inter se & ad illa distinguantur. Nam si consideremus Entitatem materialem sub hac præcisa ratione, in-

quantum

quantum est vehiculum proportionatum formis, tunc exprimimus conceptum aptitudinis & capacitatis; in quantum verò nondum habentur, concipimus priuationem: & sic deinceps. Hinc tuo discursu collige pulcherrimum circulum, & reuera satis mirabilem, videlicet, quod *forma non appetit materiam velut suum finem, nec habet illius priuationem, neque ad illam est impotentia, sed potius eam actuat & perficit.*

Conclusio. Appetitus materiæ ad formam non distinguitur realiter à materia, sed est illi intrinsecus. *Probatur.* Nam si distingueretur, materia esset composita ex accidentibus, quę sunt priuatio, appetitus, & reliqua, diceretur que Ens per accidens & non simpliciter, quod est superius impugnatum. Ergo.

Ad primum igitur dicendum. Distinguo Minorem, Appetitus materiæ multiplicatur quo ad esse respectiuum, *Concedo*; quo ad esse absolutum, *Nego*. Est enim vna substantia tot habens respectus quot sunt formæ receptabiles. aduenientе autem forma, cessat respectus qui fuit ad ipsam.

Ad secundum. Distinguo Minorem. Materia non est idem quod inclinatio, secundum rem & entitatiuè; *Nego*, secundum rationem conceptam & formaliter, *Concedo.*

Ad Tertium Distinguo Maiorem, sicut ad primum.

AR-

ARTICVLVS V.

Vtrum in materia remaneat appetitus ad formam semel amissam.

VIDETVR quod sic. *Primò.* Dictum est in Articulo præcedente quod appetitus non inuenitur absque priuatione, quia est nõ habiti. Sed materia habet priuationem formæ quam amisit. Ergo etiam habet appetitum. *Minor.* si enim non habet priuationem formæ amissæ, quomodo audes appellare amissam? hæc enim repugnat.

Secundò Nonnulli Patres Ecclesiæ colligunt hanc veritatem ex Philosophia, quod anima rationalis separata à corpore, adhuc est actus corporis Physici, habens inclinationem naturalem ad informandum, licet de facto non informet. Ergo etiam è conuerso, ipsa materia habet inclinationem. Anteced. est D. Augustt. *lib. 12, de Genes. Cap. 35. & D. Thom. in p. p. Q. 75. art. 1. ad 6.*

Tertiò. Materia est eadem res cum suo appetitu, vt dictum est. Sed corrupta forma, adhuc remanet materia. Ergo & appetitus ad formam.

Respondeo. Quod hic loquimur de omnibus formis quocunque modo sumantur, siue sint generationi & corruptioni obnoxiç, quẽadmodũ forma arboris, equi & similiũ, siue ingenerabiles & incorruptibiles, vti est anima rationis

nis compos. hæc enim sola æterna & incorruptibilis permanet. Respectu huiusmodi formarum duplex appetitus est in materia, *naturalis*, & *obedientialis*. si enim forma aliqua potest ab agente naturali produci in materia, tunc signũ est præextitisse ibi appetitum & inclinationem naturalem ad formam, si vero nonnisi ab agente supernaturali est producibiiis, obedientialem. Illustro hoc per exemplum. Appetitus materiæ quæ est in hac Cathedra ad formam ignis, naturalis est, quia applicato igne, absque vlla difficultate & miraculo comburetur Cathedra. Cæterùm ex lapide posse fieri hominem, aut ex homine lapidem, est obedientialis. In materia ergo non est appetitus naturalis ad recipiendum formas semel amissas quæcunque illæ sint, frustra enim daretur, quia per agens creatum & naturale expleri nõ potest, nec ad actum reduci. quotiescunque enim vellet agere & producere formam amissam, semper haberet nouam efficientiam & actionem, distinctam ab illa priori qua formã nunc amissam produxerat, ac proinde si est actio diuersa, erit terminus diuersus, qui nihil aliud est, quàm alia forma numero. De appetitu verò obedientiali hoc negare non possum, quia idipsum resurrectio mortuorũ conuincit, in qua reuenientur animæ corporibus, virtute solius Dei. Sed hoc ex fundamento discutere, altioris est negocij, & forsitan captum ingenioli tui puerilis excederet.

Duplex appetitus in Materia.

subsi-

subsiste igitur pronunc, & his quæ dixi firmiter adhæreas.

Conclusio. Materia prima non habet appetitum naturalem ad formam semel amissam.

Probatur. Appetitus naturalis, est inclinatio ad formã ab agente creato per actionem physicã producibilem. Sed fieri non potest, vt eadem numero forma producatur ab agente, quæ antea fuit pars compositi, & per eandem numero actionem. Ergo vera est Cõclusio. Minor antequam probetur, reuoca in primis diem quæ præterijt.

Appetitus naturalis quid.

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorem: imò hoc est discrimen inter formã habendam & habitam, quod materia respectu habendæ retinet priuationẽ, cùm ibi sit negatio in subiecto apto, & respectu iam habitæ simplicem carentiam absque aptitudine naturali.

Ad secundum; Distinguo Anteced. Anima habet inclinationem naturalem, ex parte viæ, *Nego;* naturalem ex parte termini, *Transeat.* Volo dicere, quod via naturalis vnionis animæ cum corpore, est generatio, supernaturalis creatio vel resuscitatio, & vtrobique terminus est ipsa forma. vnietur ergo anima corpori naturaliter, in hoc sensu, quia est forma corporis per essentiam, sed modus & via erit supernaturalis, quia à solo Deo, vt dictum est.

Ad tertium. Distinguo Maiorem. Est eadem res cum suo appetitu, quoad entita-

tem, *Concedo*; formaliter, *Nego*, vt explicaui antea.

ARTICVLVS VI.

Vtrum materia possit existere sine forma, per absolutam Dei potentiam.

An materia possit esse sine forma.

VIDETVR quod sic. *Primò*. Quidquid Deus facit in creaturis mediante causa secunda, quæ non est de essentia causali, potest facere se solo. Sed materiã Deus conseruat mediante forma, quæ non est de illius essentia. Ergo poterit sine forma conseruare.

Secundò. Illud quod se habet contingenter ad speciem alicuius generis, & ad ipsum genus contingenter se habebit. Sed materia ad hanc vel illam formã est huiusmodi. Ergo & ad formam in communi, & consequenter poterit absque illa existere. Maior patet, quia enim esse album per accidens inest equo & homini, & sic de singulis speciebus animalis, idcirco & respectu animalis est accidens.

Tertiò Omne absolutum prius altero secundũ rem, potest esse absque posteriori. idem enim sonat absolutum quod independens. Sed materia est prior forma, & est natura absoluta. Ergo sine illa potest diuina virtute existere. *Minor*. quia enim est potentia, prior est actu; & quia de genere substantiæ, est ens absolutum.

Potentia Dei ordinaria.

Respondeo. Quòd Deus dicitur aliquid posse facere duobus modis, secundum *potentiam ordinaria*-

dinariam, & absolutam. Illa efficere potest ordinaria potentia, quę fieri solēt iuxta ordinem rebus à natura præfixum, vt quòd cras Sol oriatur, quod homo deferat duas manus, & huiusmodi. nam secundum communem legem ita fieri consueuit. Et hoc pacto manifestum est non posse materiam existere sine forma. Illa autem potest efficere per absolutam potentiā, quæ fieri possunt, animaduersa eius potentia ex vna parte, & non repugnantia rei ex altera, sicut hominem esse lapidē non potest facere: quia considerando virtutē Dei infinitam, minimè quidem obstat; si verò conditionem facti, maximè. homo enim existens sub forma lapidis, esset & non esset homo; & quia nō Ens non potest fieri, ideo nec ipsum Deus potest facere. nihil enim facit virtus infinita præter Ens & bonum. contradictio autē includit etiā oppositum. Quęcunque igitur contradictionem terminorum implicant, per absolutā Dei potentiam fieri non possunt. Et sic est in præsenti. nam posito quod materia sine forma existeret, duo contradictoria simul vera sequentur: in primis quia effectum formalē separari à forma est impossibile. forma autem est quę dat esse, & ita si materia haberet esse absque omni forma, existeret simul & non existeret, in actu & sine actu, quemadmodum paries non est albus absque albedine. Deinde, indiuiduum quod est determinatum ad genus completū in rerum natura existens,

Absoluta.

est in aliqua certa specie illius generis per se, vel ad minus reductiuè. Materia autem nudè sumpta non est in aliqua certa specie, quia forma dat speciem rei, & consequenter nec in individuo. nullum enim individuū specificum continetur sub genere nisi mediante specie, sicut inter principia generis & individui, mediant principia speciei. Ergo opinio Scoti & quorundā recentiorum est impossibilis, atque adeò vitanda, cùm sit destructiua metaphysicalium principiorum, vt verbis doctissimi Caietani loquar in libello *de Ente & essentia, Qu.* 8. 11.

Scoti opinio vitanda.

Conclusio. Materia prima non potest existere sine forma, per absolutam Dei potentiam.

Probatur. Magis dependet materia à forma, quàm actio vitalis à principio viuente, vt visio à visu, Sed impossibile est actionem vitalem existere sine principio viuente. Ergo & materiam sine forma. *Maior.* quia dependentia materiæ à forma, est dependentia potentiæ passiuæ ab actu; actionis verò vitalis è conuerso, nimirum actus à potentia.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem, Quæ non est de illius essentia, vt est materia absolutè, *Concedo*; vt materia existens, *Nego.* magni enim refert dicere *materiam,* & *materiam existentem.* In proposito autem sermo est de existente.

Ad secundum. Nego Maiorem: quia visus cōtingenter se habet ad videndū albedinem &

ni-

nigredinem quæ sunt species coloris, non tamen potest non videre colorem. quamuis igitur materia habeat se contingenter ad hãc vel illam formam, vtputa hominis vel equi, non tamen ad formam in communi.

Ad tertium. Distinguo Minorem. Materia est prior Forma, vt materia est, *Transeat*, vt existens, *Nego*: quemadmodum paries absolutè loquendo est prior albedine, sed in quantũ est albus, posterior. Præterea materia est natura absoluta à termino correlatiuo, quia nõ est ad aliquid; sed non est absoluta ab actu, cum sit pura potentia. *Hactenus de hoc principio quoad naturam & attributa illius intrinseca disputauimus. Nunc aggrediamur passiones materiæ*, & sit

ARTICVLVS VII.

Vtrum materia omnium generabilium & corruptibilium sit vna numero.

VIDETVR quod non. *Primò.* Quod prædicatur de multis numero differentibus in quid, illud est vnum specie. Sed materia prima est huiusmodi prædicabile. Ergo solùm est vna specie. *Minor.* Est enim legitimus iste modus loquendi, *materia Ioannis est materia*, & *Francisci*, & sic deinceps.

Secundò. Illud est vnum numero, quod habet vnam formã. sed materia subijcitur pluribus formis. Ergo. Maior patet ad sensum discur-

Vnum numero quid

renti per singula indiuidua substantiæ, cuiusmodi est Petrus & Franciscus, quilibet enim ipsorum determinat sibi propriam formam.

Tertiò. Si materia omnium generabiliũ esset vna, profecto omnes formæ sublunares reciperentur in vno subiecto numero. Sed hoc est cognitu difficillimum & irrationabile. Ergo & primum. *Minor.* Alioqui eadem esset pars essentialis in me & in lapide, quia, vt dicis, eadem est numero materia, quo quid absurdius?

Respondeo, Quod in hoc principio tres vnitates possumus considerare, *genericam, specificam & indiuidualem.* De generica nihil ad præsens. iam enim satis probatum est *in artic. 1. huius q.* quod materia in omnibus compositis quæ generantur & intereunt existens, sit vnius Prædicamenti, velut substantia partialis distincta realiter à forma, & composito. Si verò loquamur de vnitate specifica, tunc etiam est certũ, quod sit vna secundum speciem incompletam & partialem in singulis inferioribus. quo pacto autem hoc intelligi debeat, dicam *Dubio sequenti.* De sola ergo *numerali* est controuersia, quæ duplex est, *positiua & negatiua.* Illa est vnitas *positiua* cuiuscumque rei, quæ consurgit ex vna forma numero, quemadmodum Socrates & Philippus sunt entia diuersa numero positiuè, quia aliam vnitatem & existentiam posuit in Socrate forma Socratis, & aliam in Philippo forma Philippi. *Negatiua* verò est quæ

Vnitas numeralis.

causa-

causatur ex carentia omnium formarum, siue clarius, tunc est Ens vnum numero secundum vnitatem negatiuã, quando in eo nihil inuenitur per quod distingui possit ab omni alio. actus enim est qui distinguit: cuius rei dederat exemplum euidens ipse Philosophus *in Logicis*, postquam asseruit Vniuersalia esse incorruptibilia & perpetua, non enim positiuè hoc intellexit, quasi nunquã desinant esse, cùm semper aliquod indiuiduum corrũpatur, sed negatiuè, quia nimirum abstrahunt à corruptione & temporum differentijs, id est, non habent in se vnde corruptioni aut tempori subijciantur, licet hoc habeant secundum quod in particularibus sunt, quorũ per se primò tam generatio quàm corruptio est. Materia igitur secundum quod existit in diuersis compositis per partes, est multiplex numero positiuè, quia etiam sunt plures formæ compositorũ; tamen si accipiatur secundum se & prout ab intellectu concipitur conceptu præscindente ab omni forma, est in omnibus compositis vna eademque numero negatiuè, quæ vnitas non est quid reale tanquam accidens materiæ, sed ipsa indistinctio siue negatio omnis formæ & principij distinctiui ab intrinseco.

Materia an vnam numero.

Conclusio. Vna est numero materia in omnibus compositis quæ generantur & intereunt. *Probatur.* Entia Physica transmutantur adinuicem, vt patet in elementis & mixtis, quippe corruptio vnius est generatio alterius.

Ergo hæc transmutatio debet fieri circa vnum subiectum, qualis est materia, vt dicebatur in Textu.

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorem, quia species debet esse natura integra & completa. Hoc tamen addiderim, quod sicut anima in communi dicitur de vegetatiua, sensitiua, & rationali, non vt terminus genericus sed generalis; ita & materia, de hac & illa per modum speciei.

Ad secundum. Distinguo Maiorem, Illud est vnum numero positiuè, *Concedo*; negatiuè, *Nego*, vt dictum est.

Ad tertium Nego Minorem, quamuis enim in vno subiecto habente positiuam vnitatem non possint diuersæ formæ recipi, in vno tamen negatiue possunt, hoc modo, vt in vna parte materiæ sit vna forma, & in alia altera.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum materia corporum cœlestium sit eiusdem speciei cum materia inferiorum.

Materia corporum cœlestium qualis.

VIDETVR quod sic. *Primò*. Quæcunque conueniunt in eadem differẽtia vltima, eiusdem sunt speciei, vt Petrus & Franciscus. Materia cœlestis & inferior sunt huiusmodi. Ergo. Minor patet, quia vtraque est subiectum formæ substantialis nullũ includẽs actũ.

Secundò. Si materia cœli & inferiorũ habent diuer

diuersas species: Ergo inæqualiter distant ab actu puro, qui Deus gloriosus est, sed vna magis quàm altera. Sed hoc est falsum. nam inter Ens supremum & materiam infimam concluditur tota vniuersitas Entium, quæ partim sunt in potentia, & partim in actu. Ens autem supremum nullam dicit potentiam, sicut Ens infimum nullum actum ERGO vt prius.

Tertiò. In pura potentia nulla est distinctio, quia actus formalis distinguit & perficit. Sed materia cœli & inferiorum sunt puræ potentiæ. ERGO quantum ex illis est eiusdem sunt rationis & speciei.

Respondeo, Quòd circa hunc Artic. docuit Plato eiusdem est speciei materiã corporum inferiorum & cœlestium. Obijcientibus autẽ quo pacto hoc fieri possit, cum Cœlestia corpora sint incorruptibilia, Elementa vero trãsmutentur adinuicem, occurrebat dicendo, quod orbes cœlestes ex sua natura possũt corrumpi, sed ab extrinseco & ex voluntate supremi artificis nunquam corrumpentur. Vnde in Timæo sic alloquitur cœlos in persona Dei: *Attendite corpora, quorum ego parens opifexq; sum, natura vestra vos estis dissolubilia, voluntate autem mea indissolubilia, quia voluntas mea maior est nexu vestro.* Vt autem hoc possis resoluere, præmittendum est discrimen inter Entia absoluta & respectiua, quia in absolutis principium distinctionis intrinsecæ desumitur ab intrinseco, vt homo differt ab equo per

Discrimen inter Entia absoluta & respectiua.

rationale: cæterum in relatiuis quocumque modo sumãtur siue prædicamentaliter vt dominus & seruus, siue trãscendẽtaliter, vt actus & potentia, est quidem distinctio intrinseca, sed ab externo principio desumitur, vt pater differt à domino specificè, per differentiam sibi conuenientem ad intra, quæ tamen exinde petitur, quia respicit filium quem genuit, & dominus seruum quem coercet: idemque est iudicium de potentijs respectu obiectorum, vt patet. His ergo ita præmissis, pone ob oculos materiam cœlestem & sublunarem, & vide quòd sunt diuersarum specierum intrinsece & essentialiter, ita vt alia sit materia cœlestis & alia sublunaris, tanquam duæ potentiæ realiter distinctæ. Quod si interrogas, an seipsis distinguantur vel per aliquid aliud: respondeo obiectum in hunc modum: quòd cum omnis materia sit absoluta à termino correlatiuo, & respectiua, ad actum; istæ duæ materiæ distinguuntur per aliquid intrinsecum desumptum tamen ab extrinseco, hoc est, per commensurationem ad diuersas formas. Non quod ideo sint diuersæ, quia diuersis formis subijciuntur, alioquin materia hominis & lapidis ita distinguerentur, quod falsum est: sed quia formæ cœlestes alio modo recipiuntur & commensurantur subiectis, & alio formæ sublunares. Illæ etenim totaliter replent capacitatem materiæ, nullam in ea priuationem relinquendo ad vlteriorem formam: (nam si

materia

materia quæ modò est sub forma Solis, haberet inclinationem ad formã lunæ, posset naturaliter formam Solis deponere quam sustentat, & ita Sol aliquando corrumperetur. quot ergo sunt formæ in cœlo, tot species materiarum, propter rationem præfatam) sed materia sublunaris alio modo cõmensuratur ad actus proprios. respicit enim omnes & singulas formas, prout conueniunt in eodẽ modo informandi, scilicet, inamissibiliter & cũ priuatione. Vnde existens sub vna forma habet annexã priuationẽ alterius, sicut multoties cõprobaui exẽplis.

Conclusio. Materia corporum cœlestium non est eiusdem speciei cum materia inferiorum.

Probatur. Vnitas materiæ specificę desumitur ex vnico modo informandi à forma, siue ex commensuratione, quod idem est. Sed materia cœlestis & hæc inferior diuersimode informantur. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorem, quia prima potentia est differentia generica vtriusque materiæ, sed ad formam complentem capacitatem vel non complentem, sunt specificæ, vt dictum est.

Ad secundum, Nego Minorem; quia licet Ens infimum non dicat ex se aliquem actum, tamen est potentia ad actum complentẽ & non cõplentem, ac proinde vna materia magis distat à puro actu, quam altera.

Ad tertium, Distinguo Maiorẽ; de pura potentia nulla est distinctio sumpta ab intrinseco, *concedo,* ad extrinsecũ, *nego.*

AR-

ARTICVLVS IX.

Vtrum si forma cœlestis vniretur per miraculum materiæ inferiori, esset illud cœlum incorruptibile.

VIDETVR quod sic. *Primò.* Huiusmodi forma non relinqueret priuationem in materia, nec appetitum respectu aliarum formarum. Ergo cœlum ex natura esset incorruptibile. Antecedens fuit concessum *in Articulo præcedenti*, vbi dicebatur, quod forma cœlestis tantam habet perfectionem, vt possit totaliter complere materiã, & inamissibiliter perficere.

Secundò. Omne quod corrumpitur, à contrario corrumpitur. Sed si Deus per miraculum produceret cœlum compositum ex materia inferiori & forma cœlesti, non esset aliquid contrarium huic composito. Ergo. Minor est Arist. *in lib. 1. de Cœlo*, vbi ait: quod forma cœli non habet contrarium, sicut nec oppositam priuationem velut terminum à quo.

Respondeo, Quòd duobus modis est aliquid *corruptibile, per se, vel per alterum.* Si enim inueniuntur alicubi principia intrinseca mutationis & corruptionis, quæ sunt materia cum priuatione, tunc illud Ens ex natura est corruptibile; vnde & substantiæ separatæ quia carent omni materia, non corrumpuntur. Per alterum verò corruptibile vocatur quod habet

Corruptibile duobus modis.

bet agens vel qualitatem contrariam, qua mediante potest desinere esse, dummodò sit debitè approximata, & hoc ideò dico, quia si aliquis Angelus ascenderet supra cœlum Empyreum, & tolleret secum glebam terræ, aut pugillum ignis, tunc ibi neutrum ex istis duobus corrumperetur, non quia non haberent contrarium. nam ignem destruit aqua, & terram ignis, sed quia maximè distarent, vt lippis & tonsoribus est manifestum. Data igitur hac hypothesi, quòd cœlum miraculosè vniretur materiæ inferiori, esset corruptibile ex natura siue ab intrinseco, quia intra se haberet mutationis principium, quod est materia cum priuatione; sed incorruptibile ab extrinseco, quia deesset agens contrarium potens vincere formam suam, & à subiecto in quo est depellere; & in huius signum, motui circulari non est alius contrarius, quia nec sursum, nec deorsum.

Conclusio. Si per miraculum forma cœlestis vniretur materiæ inferiori, Cœlum esset corruptibile per naturam. *Probatur.* Huiusmodi materia habet annexam priuationem omnium formarum. Ergo si volumus seruare incorruptibilitatem cœli, oportet ipsum ponere in materia cœlesti, quæ alterius est speciei, vt dictum est.

Ad primum igitur dicendum, Nego Antecedens, quia habere priuationem, ab intrinseco materiæ inferiori conuenit, sicut non habere, supe-

superiori, & hanc inamissibiliter complet forma cœlestis, non autem illam.

Ad secundum, Distinguo Maiorem: Si est corruptibile ab extrinseco & per aliud, *Concedo*; Per naturam & ab intrinseco *nego*, vt dictum est.

ARTICVLVS X.

Vtrum materia possit cognosci absque habitudine ad formam.

Materia quomodo possit cognosci.

VIDETVR quod sic. *Primò* Quidquid cõtinetur sub obiecto intellectus, est ab eo cognoscibile, sed materia Physica est huiusmodi, Ergo. *Minor*. Obiectum quod intelligitur adæquatè est Ens, manifestum est autem quod materia habet rationem Entis, quia ex non Ente nihil componitur.

Secundò Materia est nobilior omni accidẽte. Sed cognoscibilitas inest accidentibus, Ergo & materiæ. Maior patet ex Logicis, vbi nouem Prædicamenta nonnisi in abstracto recitantur & definiuntur.

Tertiò Omne extrinsecum à materia est separabile ab eius definitione. Sed forma est huiusmodi. Ergo non ingreditur definitionem materię, quæ nonnisi per genus & differentiam dari consueuit.

Respondeo, Quod triplex potest esse sensus Dubij præsentis. Primus est, an materia possit causare in intellectu similitudinem suiipsius, quam

quam vocant Philosophi *speciem impressam*, & mouere intellectum ad sui cognitionem absque concursu formæ, sicut color mouet visum; & ita non currit, quia manifestum est quod non possit, ex eo præcipuè quia est potentia essentialis. Alter sensus hunc habet tenorem, an possit intellectus formare conceptum aliquem de materia qui tantum ipsi conueniat & nulli alteri; & hoc non est ad propositum, quia similiter manifestum est quod possit, vt dum exprimitur in conceptu mentis receptaculum formæ, aptitudo, potentia, & appetitus ad formam. Postremò, an huiusmodi intellectus formando conceptus proprios, vt modò dixi, aliquid extrinsecum debeat cointelligere necessario, vt puta formam. Dico igitur, quod ita planè. neque enim capacitas, vel subiectum, absolutè dicuntur, sed cum habitudine ad aliquid aliud. ista verò habitudo quæ est à parte rei, exprimitur in conceptu vltimato materiæ, ac proinde nonnisi per analogiam ad formam cognoscetur. Est autem alius modus inuestigandi, & definiendi hoc principium, videlicet per viam remotionis. Enimuerò sicut primum efficiens quod à sensibus est remotissimũ, cognoscimus per negationes, dicimus nãque Deum esse illud Ens, quod neque est albũ, nec quantum, nec corpus, nec homo: & ita discurrendo per ea quæ videmus, sed est his omnibus longè perfectius, atq; adeò purus actus vnde singula proueniunt:

ita

ita materia physica ob maximam sui imperfectionem, nec est quid, nec quale, nec quantum, & sic deinceps, sed aliquid imperfectius omnibus, & subiectum formarum, veluti si tu homini cæco à natiuitate explicares quid sit lignum, ostendendo illi per tactum scamnum, arcam, mensam, & huiusmodi, ac diceres: lignum quod tangis est id ex quo fiunt hæc omnia.

Materia vt cognoscatur.

Conclusio. Impossibile est cognoscere materiam positiue, nisi per ordinem ad formam. *Probatur.* Vnumquodque intelligitur quatenus est in actu; quia idem est principium essendi & cognoscendi. Sed materia nullum ex se habet actum. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem. Materia continetur sub obiecto intellectus, per se, *nego*; per formam, *concedo*, vt dictum est.

Ad secundum. Distinguo Maiorem. Est nobilior omni accidente, secundum rationem genericam quæ est substantia, *concedo*; differentialem & specificam, *nego*, quia est pura potentia.

Ad tertium. Nego Maiorem. est enim aliquid intrinsecum definitioni, & non ipsi rei, quemadmodum pater non est de essentia filij, non tamen filius definitur sine patre, & sic est in proposito.

AR-

ARTICVLVS XI.

Vtrum materia sit generabilis & corruptibilis.

VIDETVR quod sic. *Primò* Quælibet mutatio est in subiecto mutabili, quêadmodũ si paries aliquãdo calefit, signum est ipsum esse calefactibilem. Sed generatio est mutatio realis, cui subijcitur materia. Ergo est generabilis & corruptibilis. *Minor*, non enim generatio fit ex nihilo, sed ex præsupposita materia, in quo à creatione distinguitur.

Secundò, Materia mutatur de non esse ad esse, & de esse ad non esse. Ergo est generabilis & corruptibilis. Antecedens patet, quia dum ex semine fit arbor, mutatur materia ex non parte arboris in partem eiusdem, & quãdo succiditur, ex esse ad non esse.

Tertiò. Duo sunt inconuenientia quæ sequuntur partem negatiuam. Primum est, quia materia esset nobilior forma & composito, quod fieri non potest, pars enim est compositi, & subiectum formæ. Deinde, quia non esset generationis & corruptionis principium, nam propter quod vnumquodque tale, illud magis. Ergo, vt prius.

Respondeo. Quod tribus modis aliqua res dicitur ex natura incorruptibilis; Aut quia nullam habet materiam, vt Angeli; aut quia licet habeat, non tamen est adiuncta priuationi alteri-

Incorruptibile quot modis dicatur.

terius formæ, quia forma quam habet, non habet contrarium; & hac ratiooe cœlum non est corruptibile, vt antea diximus; aut quia est primum subiectum quod de nullius prioris subiecti potentia educitur, & talis est materia. Incorruptibilitas primo & secundo modo arguunt perfectionem, sed non tertio, quia imperfectio quæ ibi negatur inesse, vtputa materia cum priuatione, hic affirmatur, vt patet.

Materia prima incorruptibilis.

Conclusio. Materia prima est per se ingenerabilis & incorruptibilis. *Probatur.* Omnis generatio supponit subiectum prius ex quo fit, & in corruptione vsque ad illud fit resolutio, sed nihil est prius per modum subiecti ex quo fit materia, cum hæc sit ipsius natura vt sit primum subiectum. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego Maiorem; aliud enim est subiectum mutationis & subiectū mutabile. hoc secundū debet esse compositum ex potentia & actu, sed primū potest esse sine actu: & talis est materia.

Ad secundum, Nego Conseq. propter eandem rationem.

Ad tertium, Nego exinde sequi prædicta incōmoda. Non primum, quia perfectior est equus & sua forma quam materia, licet equus sit corruptibilis. incorruptibilitas autem tertij modi nullā perfectonem designat: & hinc est, quod equū perpetuò durare, est miraculū: intelligentias verò, cœlum, & materiam primā, minimè. Non secundum, quia complexio causalis

salis est inepta, vt in 1. *Poster.* explicatur. Hic terminatur præsens Quæstio de natura materiæ: circa quã si omnia pro dignitate essent examinanda, volumen integrum illudq; nó mediocre postularent, implicant enim plures difficultates metaphysicas. Satis est autẽ huic instituto ea duntaxat ex Diui Thomæ thesauris collecta proferre, quæ ad materiæ naturã illustrandam, & ad studentium eruditionem opportuna esse videbantur. Sequitur vt de altero principio intrinseco disputemus.

QVAESTIO V.

De principio formali intrinseco.

ARTICVLVS I.

Vtrum Forma naturalis sit nobilior composito.

VIDETVR quod non. *Primò* Nullus effectus potest esse dignior sua causa. Sed compositũ est effectus principij formalis. Ergo est ignobilius respectu formę. Minor patet, vnumquodque enim est effectus illius Entis à quo dependet in suo esse: forma autem dat esse composito, vt anima intellectiua homini.

Secundo. Omne compositum desumit suam definitionem à forma velut à principio. Ergo est nobilior. *Antec.* Nã posito solo genere non est completa definitio rei, sicut posita materia, nondum est compositum.

Tertiò. Materia nobilior est composito. Ergo multo magis forma. Anteced. quia in genere substantiæ pluribus substat, & in primis formæ, deinde per formam est pars cõpositi, & mediante composito est receptaculum accidentium.

Forma quomodo prior materia.

Respondeò Quod intentio Articuli istius nõ est comparare formam Physicam cum materia. certum est enim quod sit prior absolutè, tanquam actus sua potentia in cuius definitione ponitur, vt docet Philosophus 9. *Metaph. ca.* 9. quamuis materia in genere causæ subiectiuæ priorem locum habeat. sed hoc nõ officit, quia causæ sunt sibiinuicem causæ; ad quamlibet autem illarum prioritas aliqua consequitur, sicut ad formã respectu materiç sequitur prioritas formalis: sed comparãda est forma cum ipso composito. hæc enim collatio vnius ad alterum præsefert nonnullã difficultatem. Sciendum est igitur, quod forma prior est composito, non tempore, sed natura & origine. nullum enim instans durationis temporaneæ datur, in quo habeat esse absque composito, sicut albedo nõ est sine albo quod est Ens secundum quid: origo tamen compositi est à forma. Simpliciter autem nobilius est compositum, quod comprobat modus essendi, operatio, & finis. Enimuero compositũ habet esse vt quod, forma vt quo, sicut humanitate est aliquis homo, sed Petrus est id quod existit in natura hominis, ex quo sequitur modus operandi

randi|vt quod. forma autem est principium ratione cuius operatur compositum. vnũquodque enim agit quatenus est in actu. Tandem ex fine ideò compositũ censetur esse nobilius, quia omnes partes referuntur ad illud tanquã ad finem & complementum, cuius gratia sunt. Et considera diligenter, quod non solùm hoc verum est de forma coniuncta, verumetiam de separata, pro vtroque enim statu militant rationes.

Conclusio. Quodlibet compositum naturale est nobilius sua forma. *Probatur.* Tanto aliquid perfectius est, quantò magis elongatur à non Ente, sicut albedo perfecta minus habet de nigredine sibi oppositа. Sed compositum naturale includit quidquid perfectionis dicit forma, & aliquid amplius, vt dictum est. Ergo est nobilius.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Maiorem. In genere causæ efficientis, *Concedo*, absolutè, *nego*, quia omne agens vniuocum producit sibi simile.

Ad secundum, Distinguo Conseq. Est nobilior absolutè, *Nego*, secundum quid, *Concedo*, vt dictum est.

Ad Tertium, Nego Anteced. quia nobilitas & perfectio substantiæ non desumitur à substante, vel ab eo quod est pluribus subesse, sed ab actualitate & modo essendi, qui composito principaliusconue-

nit.

ARTICVLVS II.

Vtrum aliquæ formæ Physicæ educantur de potentia materiæ.

Educi quid.

VIDETVR quod non. *Primò.* Nihil inde educitur vbi prius non erat, quia *educi*, est forinsecus trahi & duci. Sed nulla forma Physica ante generationē compositi est in materia, Ergo nulla educitur de potentia materiæ. Minor patet ex dictis in tota Q. præcedēti, conclusum est enim quod materia nullam ex se habeat formam, velut potentia ad omnes.

Secundò. Omne quod aliquo modo fit ex materia, habet esse simile principio generanti, nonnisi enim similia se generant. Sed forma naturalis non potest assimilari principio generanti. Ergo. *Minor*, quia generans componitur ex actu & potentia; forma verò est actus simplex, licet non purus, quia nec componitur ex genere & differentia, neque ex partibus aggregatis, sed solùm ex essentia & esse.

Tertio Demus hunc casum, quod Deus poneret aliquem gradum frigiditatis in spacio illo vacuo extra cœlum, tunc sic argumentor: Applicato igne ad talem frigiditatem, corrūpetur. Sed hoc fieri non posset nisi producendo calorem vbi est frigiditas, non de potentia subiecti, quia nullum est, nec etiam creando, vt patet. Ergo.

Respondeo. Quod olim ista difficultas præclara

clara grauissimorum virorum exagitauit ingenia, fuit enim apud multos dubium, quopacto formæ dependeant à materia, & ex illius facultate educantur. Quam rem vt à principijs aperiamus, sciendum est, in hoc differre causam efficientem à formali respectu eiusdē numero effectus, quia efficiens dat esse effectui non dando illi seipsum, sed aliquid simile producendo: similitudo verò est conuenientia aliquorū in tertio: sed forma dat seipsam materiæ, illam informando & sibi vniendo, vt albedo seipsa facit parietē album, & anima sensitiua equum. Quod licet verum sit, non tamen omnes formæ quæ dant esse materiæ, educuntur de materia. Si enim propriam significationem huius complexi, *Formam educi*, consideres, nihil aliud sonat, quàm fieri illam modo in actu quæ prius erat in potentia, & dependere in esse & fieri à mâteria, velut à causa receptiua & passiua, quemadmodū in moralibus dicimus, in potestate regis vitā esse hominis qui meruit mortē, quia potest facere vt non moriatur. Vel ita clarius loquamur, tunc forma alicuius cōpositi educitur de potentia subiecti, quando eadē actione cōsequenter fit & producitur qua compositū; & iuxta hūc sensum omnes formæ rerum naturaliū excepta anima intellectiua educūtur, quia ad generationē cōpositi incipiunt esse, & ad desitionē desinūt. Excipio vero animam hominis, quia illa sola creādo infunditur, & infundēdo creatur, *Anima hominis.*

vt egregiè comprobat Philosophus *in 2. lib. de generatione animalium cap. 3.* in hæc verba: *Refert igitur vt mens sola extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit. nihil enim eius actioni communicat actio corporalis.* Vbi reddit causam dicti cur sit ingenerabilis, quia, inquit, habet actionem non communē corpori, sed ab eo independentem, qualis est intellectio animæ pro omni statu conueniens, etiāsi non existat in corpore.

Conclusio. Omnes formæ Physicæ excepta anima rationali educuntur de potentia materiæ. *Probatur.* In Genesi legimus Deum dedisse terræ facultatem emittendi ex se herbā virentem, & lignum pomiferum iuxta genus suum. Ex quo loco Scripturæ conficio tale argumentum in gratiam Conclusionis positæ: Illa quæ fiunt secundum facultatem & potentiam ipsis rebus naturalibus à Deo concessā, verè educuntur de potentia materiæ. sed docent sacræ literæ concessam esse potentiam terræ, aquæ, & reliquis elementis emittendi ex se corpora viuentia. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem. Forma ante generationē non est in materia, tanquam in virtute agentis, *Concedo*, in virtute subiecti habentis naturalē inclinationem ad formam, *Nego.*

Ad secundum. Distinguo Minorē. Forma non assimilatur generāti, vt quod, *concedo*, vt quo, *nego*; generās enim & genitū nonnisi in forma assimilantur.

Ad

Ad tertium, Nego Maiorem, imò si daretur frigiditas in vacuo, nullo modo ab agente naturali posset corrumpi, quia deest materia de cuius potentia educeret calorem. sicut enim Sol non prius natura producit lumen, quàm faciat aerem luminosum, sed producit lumen illuminando aerem, ita ignis producit calorem calefaciendo subiectum. quare Sol in vacuo nullam habet virtutem producendi lumē. *Hæc de Forma dicta sint.*

QVAESTIO VI.

De principio priuatiuo rerum naturalium.

ARTICVLVS I.

Vtrum priuatio distinguatur realiter à materia.

VIDETVR quod sic. *Primò.* Illa quæ sunt Entia realia, & vnum potest separari ab altero, distinguuntur realiter. Sed materia & priuatio sunt Entia realia, illa quidem positiuè, & hæc negatiuè, ex quibus priuatio potest separari à materia, quia per aduentum formæ excluditur manente suo subiecto. Ergo Priuatio distinguitur realiter à Materia.

Secundò. Entitas priuationis nihil aliud est, quam ipsa remotio formæ. Sed entitas materiæ non est remotio, quia potius in se recipit formam. Ergo.

Tertiò. Si essent vna eademque res, hoc maxime propter doctrinam Philosophi, qui asserit ista duo esse vnum numero, at verò specie non vnum, hoc est secundum rationem. Sed hic modus loquendi non tollit realem distinctionem priuationis à materia. Ergo distinguuntur realiter. *Minor.* Vult enim dicere, quod pro eadem re numerentur in communi modo loquendi materia cum priuatione, sicut pro eodem numerantur accidentia cum suo subiecto, à quo tamen distinguuntur realiter.

Priuatio à diuersis scientijs considerat.

Respondeo, Quòd de priuatione diuersæ scientiæ disputant. loquitur enim de illa *Logicus,* prout est quædam proprietas consequens naturam in prædicamento reponibilem, iuxta quem modum cæcitas & visus opponuntur in Postprædicamentis; differit *Metaphysicus,* inquirendo de illius natura quænam sit, vtrum ens reale vel rationis, substantia vel accidens; tandem disputat *Physicus* de priuatione, inquãtum concurrit necessariò ad quamlibet generationem per modum termini à quo, in isto enim sensu ponitur inter principia rei naturalis. An autem distinguatur realiter à materia non est idem Philosophorum consensus. Sed pro sententia Doctoris Angelici sciendum est, quod Ens duobus modis accipitur. Aut pro eo quod significat veritatem Propositionis, de quolibet enim est vera affirmatio aut negatio, vt Paries est substantia, & ita Priuatio est Ens,

Ens duobus modis accipitur.

in

in quo differt à pura negatione. concedimus enim quod cæcitas in mundo est, & tenebræ sunt, negamus autem quod Chimera sit. Aut pro eo quod diuiditur in decem Prædicamenta, & idem est quod quidditas & essentia, in quo sensu Priuatio non est Ens, sed negatio formæ & Entis; ac proinde est Ens rationis, non relatiuum, non negatiuum, sed merè priuatiuum, vt docetur in Logicis. Est autem Priuatio in subiecto & ipsum subiectum vna eademque res, cuius definitio est duplex, quia per aliam rationem materia est materia, & per aliam est priuatio, quod satis ingeniosè confirmat Philosophus *in hoc lib.* decem rationibus, vt videre est *in Tex.* 18. vbi ponitur prima ratio, *in Tex. verò* 18. secnnda, *in* 59. tertia, *in* 65. quarta, *in* 67. quinta, *in* 78. sexta & septima, *in* 79. octaua & nona, *in* 82. decima. vide hæc loca si placet. Itaque materia secluſa operatione intellectus, est materia; & secluſa operatione priuatur forma: sed tamen materia & priuatio non sunt duo principia, nisi per operationem intellectus distinguentis inter huius & illius rationem, quæ sunt, subijci formæ, & carere forma. Et quia priuatio significatur in abstracto per modum per se stantis & non alteri inhærentis, ideo non formaliter sed identicè prædicabitur de materia: hæc enim est vera, aer est res quæ sunt tenebræ, tamen aer non est tenebræ sed tenebrosus;

ocu-

oculus est res quę est cæcitas; non tamen est cę-citas, sed cæcus. dicendo enim, oculus est cæcitas, non solùm significatur quod vtrũque sit eadem res, sed etiam quod vtriusque sit eadem ratio, & hoc sustineri non potest.

Materiæ & Priuationis distinctio.

Conclusio. Priuatio formæ non distinguitur realiter à materia. Probatur ex doctrina D. Thomæ, qui in libello *de principijs naturæ cap.* 1. sic ait: *Materia est Ens in potentia, priuatio verò est non Ens Actu, sicut quando ex ligno fit mẽsa, tunc lignum quod est in potentia ad formã mensæ, est materia, sed dum dico, lignum incompositũ, explico priuationẽ, vnde forma est id propter quod fit generatio; materia verò & priuatio sunt ex parte eius ex quo fit generatio, & ita materia & priuatio sunt idem subiecto, sed differunt ratione.* Hæc Angelicus Præceptor interpres fidelissimus doctrinæ Aristotelicę. Ergo sola ratione differunt. Nunc soluamus argumenta Antonij Ruuio.

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorem. esse enim Ens reale negatiue, idem importat quod non esse rem, neque esse realiter: porrò distinctio realis nonnisi inter extrema realia fieri solet.

Ad secundum, Distinguo Minorem. Entitas materiæ non est remotio formæ identicè & realiter nego, formaliter concedo, & sic committitur petitio principij. ad hoc enim vt aliqua distinguantur ratione, sufficit vt dicatur aliquid de vno quod non dicitur de altero.

Ad

Ad tertium, Nego Minorem, neque est par ratio de accedentibus & subiecto, illa enim numerantur secundum numerositatem rei & rationis, sed materia & priuatio ponunt in numerum rationum, vt dictum est. Occasione tamen huius argumenti sit

ARTICVLVS II.

Vtrum priuatio sit vna pro omnibus formis, sicut est vna materia.

VIDETVR quod non. *Primò* Quælibet priuatio est negatio formæ. Ergo est negatio Entis. Ergo est non Ens. Ergo non est vna, quia Ens & Vnum conuertuntur. Ergo Quæstio supponit falsum, quod possit numerari.

Secundò. Priuatio distinguitur specie à materia vt dictum est, Ergo illa prædicata quæ conueniunt materiæ non debent conuenire priuationi. Sed materia est vna numero omnium generabilium & corruptibilium. Ergo priuatio non erit vna, sed tot erunt in materia, quot formæ illis oppositæ.

Tertio. Si in materia esset vna priuatio pro omnibus formis, sequeretur quod illa materia quæ habet priuationem formæ hominis, haberet priuationem omnium formarum; accipe in exemplum materiam lapidis. Sed hoc est contra superius dicta & probata. docuimus enim

nim ex S. Thoma, nunquam posse materiã existere sine aliquo actu & forma; existeret autem si haberet priuationem omnium formarum. Ergo & primum.

Vnitas priuationis.

Respondeo, Quod vnitas priuationis triplex est *generica, specifica, & indiuidualis*. Si loquamur de vnitate generica, tunc omnis priuatio ad illud genus pertinet in quo reponitur forma opposita, quemadmodũ cæcitas est priuatio visus de Prædicamẽto Qualitatis, & priuationes omniũ formarum substantialium pertinent ad genus substantiæ. Loquendo vero de vnitate specifica, tenendum est quod priuatio secundũ suã speciẽ est Ens rationis, non tanquã relatio quę consequitur ad rem existentẽ in intellectu per quamcũque operationem intellectus, talis enim est Syllogismus, Prædicabile, & similia; nec tanquam negatio absoluta, vt nõ videns, nõ dispurãs; sed est per se Ens speciale quod inter alia plus habet de Entitate, & nõ distinguitur à materia, sicut res habẽs quiditatem & naturam diuersam realiter, sed solũm habet conceptum aliũ à conceptu materiæ, quia principiat generationem Physicam vt terminus à quo, & materia vt subiectũ Cæterũm si de vnitate ipsius indiuiduali volumus loqui, tũc est vna numero respectu omniũ formarũ quæ recipiũtur in subiecto, sicut est vna materia, adeo vt quẽadmodũ Entitas priuationis nõ est alia ab Entitate materiæ, ita nec vnitas priuatiua ab vnitate materiali. Sed quia res habens aliquid absolu-

lutum & respectiuũ, potest multiplicari quantum ad respectus, licet vna maneat in ratione Entis absoluti, vt Franciscus per albedinẽ assimilatur Ioãni albo, & est dissimilis parieti nigro, vbi fundamentũ similitudinis, quod est res absoluta, est vnũ, sc. albedo, sed duæ relationes formaliter & secundũ speciem: idcirco priuationes formarũ in materia respectiuè multiplicãtur, ita quod adueniète forma cessat quodammodo priuatio ad illam, hoc est desinit illam respicere; tamen secundum id quod absolutum est permanet, quia materia adhuc est priuata aliquibus formis.

Conclusio. Priuatio vna est numero pro omnibus formis, sicut est vna materia. *Probatur.* Est eadẽ res omninò cũ materia vt iã probauimus. Ergo est vna numero pro omnib. formis.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Conseq. secundam, est non Ens pro formali, *Concedo*, pro materiali, *Nego*.

Ad secundum, Distinguo sequelam Maioris. Non debent conuenire priuationi, formaliter sumptę, *concedo*, identicè & pro materiali, *nego*.

Ad tertium. Nego sequelam Maioris. nõ enim vnitas quæ conuenit priuationi est absoluta, sed habet aliquid absolutum, identicè scilicet ipsam rem materiæ, & aliquid respectiuũ, hoc est, negationẽ huius vel alterius formę. Atq; in hunc modũ vltimam manũ principiis rerum naturalium, & primo Physicæ Auscultationis libello æquum est vt imponamus.

IN

IN SECVNDVM LIB. ARISTOT. DE PHYSICA AVSCVLTATIONE QVAESTIONES.

SVMMA TEXTVS IN prima parte.

PRIMA *Conclusio* Inter ea quæ fiunt per naturam, & ea quæ per artem, differentia est. *Probatur.* Quæcunque natura sunt, omnia videntur habere in seipsis principium motus & quietis; sed quæ ab arte, ne vnum quidē impetum mutationis habent innatū, vt huiusmodi sint. Ergo differentia est. *Minor.* Naturalia enim sunt, cœlum circulariter mobile, elementa motu recto, sursum aut infra, mixta etiam secundum prædominationem elementi, sed animalia transuersaliter in superficie terræ, è contra lectus & indumentum, & si aliud genus artificiatorū est, nonnisi in quantum lignea, aut lapidea sunt, hoc est, per accidens mouentur. *Natura ergo est principium & causa motus & quietis in eo in quo est primum per se & non secundum accidens:* Ac proinde non idipsum sonat Ens vt natura, naturale, & quod secundum naturam. Hoc enim natura quidē non est, neque illam habens

Naturæ definitio.

habens, sed alio modo, vt pater. Quid igitur sit Natura, quid quod ab ipsa, & secundū ipsam, dictum est.

Secunda Conclusio. Natura duplex, *materia*, & *forma*, sed magis *forma*.

Prima pars probatur. In quibus est materia, vtique & principiū motus ac mutationis. Ergo est natura. *Secunda pars.* Quemadmodū in artificialibus iliud est ars à quo res artificialis est, & secundū artem, sic in naturalibus, illud est natura, à quo res talis & secundum naturam. nam sicut illud ad alterum quod ab illo, ita & hoc ad alterum quod ab ipso. Sed in artificialibus non dicitur aliquid lectus aut statua eo quod sit in potentia. nam lignum informe non est secundum artem, sed quando habet formam. Ergo neque in ijs quę natura subsistunt res naturalis dicitur, puta os aut caro propterea quod sit in potentia talis. nam semen animalis, quis diceret animal, & arboris arborē? sed quando actu est sub forma. Ergo sicut in artificialibus forma est ars, sic in naturalibus est natura.

Tertia pars. Materia natura est eo quod principium passiuum motus eius in quo est; forma autem Entelechia siue actus & perfectio, vnde res sortitur speciem Ergo vtrūque natura, sed magis forma.

Tertia Conclusio. De ijsdem negociatur Physicus & Mathematicus, ratione longè diuersa. *Probatur.* Mathematicus considerat quantitatem, figuras, & huiusmodi, abstrahendo à

materia sensibili, puta Triangulum, aut Circulum, absque hoc quod sit ligneus aut æneus, Physicus verò vt termini sunt rerum naturalium. Ergo. *Hæc docentur in Textu.*

QVAESTIO VII.

De quiditate Naturæ & illius speciebus.

ARTICVLVS I.

Vtrum definitio Naturæ sit congrua.

An Definitio bona.

VIDETVR quod non. *Primò.* Definitio legitima omnibus conuenit quæ continẽtur sub definito, vt animal rationale Petro, Francisco, & si quæ sunt indiuidua hominis. Sed plurima sunt Entia quæ dicuntur naturæ, & non habent in se vllius motus aut quietis principiũ. Ergo definitio est incongrua. Minor patet in Deo & Intelligentijs, quæ sunt res immutabiles. neque enim generantur aut corrumpuntur, neque augentur vel alterantur.

Secundo. Natura, vt dicis, est principiũ motus & quietis. Ergo omne Ens naturale mouetur & quiescit. hoc autem falsum est, quia terra moueri non potest absque miraculo, quæ in æternum stat, nec cœlum quiescere, quod assiduè mouetur.

Tertio Motus contrariatur quieti. Ergo principium motus non est idẽ cum principio quietis, & consequenter nulla est definitio naturæ.

Con-

Consequentia fundatur super illo communi Prouerbio, *Cõtrariorum effectuũ causa sunt contrariæ*, vt in *lib. 2. de Gener. Text. 36.* autor est Philosophus.

Respondeo, Quod definitio naturæ fuit huiusmodi: *Est principium & causa motus & quietis in eo in quo est, primum, per se & non secundum per accidens.* Vbi quatuor particulæ ponũtur. Prima loco generis, *principium & causa*, ad explicandum quod tam materia quam forma sunt physicæ naturę. illud enim principium est, vnde fieri incipit motus, & supra illud causa addit influxum, sicut punctus est principium lineæ, & instans temporis, quia ab illis est linea & tempus: sed non propriè causæ. vnde quia materia & forma sunt prius quàm totum, dicuntur illius principia, & quia hoc efficitur ex illis, causæ; perfectiori tamen modo forma est principium & causa quam materia, vt antea explicauimus. Deinde ponitur, *motus & quietis*, ad insinuandum quod in compositis sublunaribus eo fine principium motus Natura est, quatenus perficitur quiete. mouet enim lapidem natura grauis, quia appetit esse in centro, & natura leuis mouet leue sursum, quia illic desiderat esse. aqua etiam reducitur ad frigiditatem; quia est sua perfectio. an verò hæc singula verificentur in cœlo, patebit inferius. Tertia particula, *in eo in quo est primum*, excludit formas accidentales à prædicta definitione,

Explicatur.

quæ nonnisi secundariò & instrumentaliter principiant motũ, vt calor hominis nutritionem & augmentum, & grauitas descensum, & si quæ sunt proprietates congenitæ rebus, quæ inclinant subiectum ad aliquam operationem ipsi soli conuenientem. Vltimò additur, *per se & non secundum accidens*, ad excludendũ artem medici seipsum sanantis, quæ etiam natura appellari non potest, licet sit principium sanationis eius in quo est. per accidens enim est, quia sicut paries calidus non fit per se ex albo, sed ex frigido; ita sanum non fit per se ex medico, sed ex infirmo, cui tamen accidit vt sit medicus, sicut parieti calido accidit esse albũ. Vnde separabilia sunt hæc adinuicem, quia stat aliquem sanari qui non est medicus, sed tamen infirmus & qui sanatur nequeunt separari: necessarium enim est vt qui sanatur sit infirmus; & quod mouetur ad calorem, nondum perfecte calidum.

Conclusio. Definitio naturæ conuenienter assignata est ab Aristotele. *Probatur.* Explicat illius essentiam & ab omni eo quod nõ est natura distinguit. Ergo.

Deus & Angeli non sunt res naturales

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorem; quia Deus & intelligentiæ non sunt res naturales, neque habent in se naturam, vt loquitur hic Aristoteles, velut principium motus. Deus enim est actus purus nihil habens de potentia, & Angeli incorporei, vt fides astruit, licet habeant naturã pro essentia, Deus quidem infini

finitam, & angelus finitam.

Ad secundum. Nego Conseq. Natura enim est principium motus & quietis simul, in illis cõpositis quæ mouentur & quiescunt, non autem in omnibus absolutè.

Ad tertium, Nego Conseq. Et prouerbium Philosophicum de illis duntaxat contrarijs intelligendum est, quorum vnum non ordinatur ad aliud; motus verò ordinatur ad quietem, vt ostensum est.

ARTICVLVS II.

Vtrum Natura prædicetur vniuocè de materia & forma.

VIDETVR quod non. *Primò.* Materia non potest concipi aliquo conceptu absoluto præscindente à forma, cùm sit appetitus, receptaculũ, & potentia, vt ostensum est. Ergo neque est natura simpliciter sed cum analogia ad formam. Ergo ratio naturæ non est vniuoca. *Materia an Natura rectè appelletur*

Secundò. Natura est principium motus in eo in quo est, hoc est, in subiecto, sed materiæ nihil subijcitur. Ergo iniquè appellatur natura. Minor patet, quia ipsa est per se subiectum.

Tertiò Aristoteles *in textu* 12. sic ait: Et magis natura hæc est, (intellige formã) quàm materia, vnumquodque enim tunc dicitur, cùm Entelechia sit, magis quàm potentia, sed quod

conuenit aliquibus secundum magis & minus, non vniuocè conuenit. Ergo.

Respondeo, Quod hoc discrimen est inter *Essentiam, Quiditatem, & Naturam*, quia Essentia importat ordinem ad esse rei cuius est; Quiditas ad definitionem, quæ rei subiectæ naturam declarat; & Natura ad operationem. Ne tamen decipiat quempiam multiplex huius vocabuli postremi vsurpatio, melius est subdiuidere naturam iuxta communem Philosophorum sententiam. Aliquando enim sumitur pro mente diuina, rerum omnium parente, & iuxta hunc modum asserunt nonnulli Deum esse naturam naturantem, hoc est creatricem, si quæ autem præter ipsum existunt, naturæ naturatæ vocari debent, vt Elementa, cœlum, & huiusmodi. Nonnunquam pro toto vniuerso & ordine creaturarum, quo pacto opus miraculosum excedit totam vim & facultatem naturæ, vt dicunt Theologi. Aliquando causæ & propensiones congenitæ rebus vocitantur hoc nomine, vt si dicas, *Consuetudo est altera natura, Natura nihil agit frustra, abhorret vacuum, & superfluum non patitur.* De his acceptionibus nihil ad præsens; sed quia principaliter significat viuentium generationem non solum apud Latinos verum etiam apud Græcos, quæ *natiuitas* vocatur quasi à *nascendo*: generatio autem fieri non potest absque principijs intrinsecis, quæ sunt Materia & Forma; idcirco deriuatum est hoc nomen, ad significandum cuiusque rei princi-

Natura quot modis sumatur.

principium, siue sit animata & viuens, siue non. Et de hac loquendo, asserit Philosophus duas illius esse species, vtputa *Materiam* & *Formam*, quia Priuatio est principium motus, & non causa, vtpote nullum habens influxum: Natura autem consueuit influere in compositum cuius est; tum quia est principium per accidans, & quatenus coincidit cum materia, principium dico rei mobilis & genitæ, non autem motus & generationis. Præterea Ens rationis non potest ad talem prouehi excellentiam vt sit & dicatur natura Entis realis, cuiusmodi est Priuatio. Denique aut Priuatio formæ habitæ esset natura, aut habendæ, non habitæ, quia non est inclinatio aliqua nec aptitudo materiæ ad illam, cum non possit haberi naturaliter, vt antea dictum est: neque habendæ, quia per illius aduentum deesset Natura, hoc est Priuatio. Restat igitur dicendum, quod definitio solùm Materiæ & Formę conueniat, & hoc vniuocè, quia secundum idem nomen & eandem rationem, licet Forma sit perfectior natura quam Materia, velut actus substantialis qui perficit & complet materiã, quæ est principium passiuum. hoc enim non impedit vniuocationem, quia in omni genere debet esse vna species perfectior quam altera, cõparando illas inter se, vt in equo & homine apparet, non autẽ in ratione cõmuni ipsius generis, & sic est in proposito. Quocirca materia cœlestis & sublunaris formę elemẽtorũ, animæ

plantarum, & animalium, continetur sub prædicta definitione Naturæ, imò & anima intellectiua hominis quamdiu est coniuncta corpori, sed in statu separationis à corpore nequaquam. Ibi enim solùm est principium intelligendi, amandi, & volendi, sed non alicuius motus Physici quoad exercitium, vtputa augmenti, alterationis, & similium.

Conclusio. Natura vniuocè prædicatur de Materia & Forma. *Probatur.* Comparatio non fit nisi inter ea quæ conueniunt in vna ratione communi, sicut equus & canis comparari possunt in albedine, quia licet diuersa sit natura vtriusque, idem tamen susceptiuum albedinis in vtroque secundum definitionē, nempe superficies; vt autor est Philosophus *in 7. Phys. cap. 4.* Sed Forma in comparatione Materiæ, est magis Natura. Ergo vniuocè de illis prædicatur.

Ad primum igitur dicendum, Nego Conseq. Licet enim Materia sit aptitudo, principium & appetitus cum analogia ad Formam, nō tamen Natura, sed absolutè, nisi forsitan velis dicere naturā Materiæ vt existentem, quia non potest sine forma existere: ac proinde aliter est philosophandum de ratione principij concepta in Materia, & aliter de ratione Naturæ.

Ad secundum, Distinguo Maiorem: Est principium motus in eo in quo est, velut in composito, *Concedo,* in subiecto, *Nego.* Vnde natura quælibet partialis est in composito vt pars

in

in toto, sed motus ab ea proueniens vt accidens in subiecto.

Ad tertium, Explico Aristotelem. Forma enim est magis natura in ratione specifica, quàm Materia, sed non in communi, quod non impedit vniuocationem, vt dictum est.

ARTICVLVS III.

Vtrum motus corporum cœlestium sit naturalis.

VIDETVR quod non. *Primò*. Motus cœli nihil aliud est, quàm actio procedens ab intelligentia applicata cœlo. Sed intelligentia operatur liberè, mouetque per imperium suæ voluntatis. Ergo motus est voluntarius & liber, non autem purè naturalis. *Motus cœli quid.*

Secundò. Quilibet motus naturalis eo fine est, vt per eũ consequatur res suam perfectionem. Sed cœli ab instanti creationis iam quasi infinito tempore mouentur, & non apparet quid per hunc motum assecuti fuerint. Ergo.

Tertiò. Posito quod motus cœlorum esset naturalis, duo inconuenientia sequuntur. Primum est, quod contraria eidem inessent simul, hoc est, moueri ab Oriente in Occidentem, & iterum ab Occidente in Orientem, qui sunt termini contrarij. Deinde si motus ab Oriente in Occidentem esset naturalis, profecto intelligentia orbi applicata volens

detinere cœlum ne moueatur, deberet aliquam difficultatem pati, quemadmodum si quispiã vtrem aere plenum sub aqua detinere per violentiam proponeret nam cum aer superiorem locum appetat, esset ibi non modica difficultas & resistentia in conseruando. hoc autem dici non potest, quia cœlum indifferens est ad hoc vt moueatur ab intelligentia, vel non moueatur, ab Oriente vel viceversa. Ergo.

Cœlum quomodo animatum.

Respondeo, Quod antiquiores Philosophi, vt erant innumeris erroribus implicati, asseruerunt cœlum esse quoddam animal, & consequenter motũ illius naturalem à principio intrinseco actiuo. proprium enim est animalibus à seipsis moueri. Sed quia Aristoteles vbique docet ipsum animatum quidẽ esse per animã assistentem, & non informantem, in cuius opinione cuilibet orbi cœlesti alligatur intelligentia nõ tanquam forma subiecto informi, sed vt motor mobili; idcirco indigni sunt antiquiores quorũ nomen in scholis philosophãtium amplius audiatur, quos tam stulta & impia persuasio procul in veritate pietateq; disiunxit. Distinguamus igitur corpus cœleste duobus modis. Primò quatenus est compositũ ex intelligentia mouente & Orbiculo; iuxta quẽ sensum potest benè sustineri quod seipsum moueat, non tamen licet syllogisare quod nauis cui nauta coniungitur vt motor, moueat seipsam, quia in illa est contractus quantitatiuus, & in cœlo virtualis, quæ duo maximè distant

stant abinuicem. in contactu enim quãtitatiuo tangens est extrinsecũ ab eo quod tangitur, & nõ potest incedere per ipsum, quia impeditur per quantitatẽ, sicut est videre in boue & plaustro: sed in contactu virtuali, qui propriè substantijs spiritualibus conuenit, res tangens est intra illud quod tangitur, & per ipsum absque vllo impedimento incedit. magis ergo vnum est ex substantia angelica & corpore cœlesti, quàm sit ex bobus & plaustro, naui & nauta. Secundò potest considerari secundũ se & absq; vlla compositione cum alio extrinseco, & tũc dicendum est, quod ab extrinseco moueatur, velut à principio actiuo: habet tamen inclinationem naturalẽ ad motũ, quæ dici solet principium passiuum, non tanquam materia sola, sed etiam forma substantialis. & quidem hæc principalius inclinat. nam cũ nullus alius motus conueniat cœlo, si forma non esset illius principiũ, non esset natura, quod falsum est. sicut ergo grauibus & leuibus conuenit moueri deorsum aut sursum naturaliter ratione formarũ, ita cœlo ob figurã circularẽ aptatur motus circularis. Vnde colligũt Doctores, & benè quod in iudicij die cùm motus cœli cessauerit, fiet miraculũ, non solum ex parte intelligentiæ cessantis mouere, sed etiam ex parte ipsius cœli. Excipio tamen ab hac decisione difficultatis cœlum Empyreum seu Firmamentum, quod reuera nõ mouetur, nec habet in se motus principium, velut sedes propria & domici-

Cœlum Empyreũ.

li-

cilium Beatorum. ſicut enim ſtatus illorum eſt inuariabilis, ita requirit locum inuariabilem.

Concluſio. Motus corporum cœleſtium naturalis eſt ratione principij paſſiui. *Probatur.* Quæcunque media ordinata ad finem ſunt naturalia cœlo, finis etiam ipſe naturalis eſt, quemadmodum ſi homini naturale eſt habere oculos & pedes, vtiq; videre & ambulare non erit contra naturam. Sed cœlum habet figuram rotundam, & eſt ſubſtantia incorruptibilis ad motum perpetuum & circularem accommodata. Ergo & ipſe motus eſt naturalis.

Ad primum igitur dicendum, Diſtinguo Minorem. Intelligentia operatur liberè, prout ſumitur abſolutè & ſecundum ſe, *concedo*; ſub decreto & lege diuini imperij, *nego*. Volo dicere, quod licet Angeli, ſecundum fidem, moueant cœlos per voluntatem; quia tamen impoſuit Deus hanc legem corpori cœleſti vt perpetuo moueatur, ita ſe habent in mouendo, ac ſi eſſent cauſæ non liberæ ſed naturales, ac proinde ſi deſinerent mouere, eſſet grande miraculum, vt ceſſabunt in extremo die iudicij.

Ad ſecundum, Nego Maiorem. non enim abſolutè neceſſarium eſt, vt per omnem motũ conſequamur aliquam perfectionem, quia & ipſe perfectio quædam eſt.

Ad tertium, Nego ſequi inconuenientia, Quia recedere

recedere ab Oriente in Occidentem & vice-versa, non sunt duo motus contrarij, sed partes vnius motus circularis. Si autem Angelus vellet detinere cœlum, nulla ibi esset fatigatio & resistentia, sed per hoc solùm quia non applicaret virtutem actiuam ad mouendum, cessaret motus. nulla enim est virtus actiua in cœlo. in vtre autem inflato sub aqua negari non potest.

QVAESTIO VIII.

In qua ostenditur, quomodo se habeat Physica & res naturales ad alia Entia.

ARTICVLVS I.

Vtrum Entia naturalia distinguantur ab artificiatis.

VIDETVR quod non. *Primò* Omne artificiatum habet materiam & formam quæ sunt principia rei naturalis in facto esse, vt *in libro primo* ostensum est. Ergo idem est quod naturale. *Entia naturalia & artificiata.*

Secundo. Per hoc ipsum quod ex Ente naturali fit artificiale nihil de nouo producitur, præterquam quod eadem res aliter se habet nunc quam antea. Ergo non distinguuntur. Antecedens declaro in hoc exemplo, quando extremitates laminæ aureæ iunguntur ab artifice vt fiat annulus, profecto Ens artificiale con-

constituitur, & tamen non apparet quidnam ibi de nouo sit productum vltra illam coniũctionem extremitatis aureę cum alia extremitate. idemque est argumentum de fuste recto si incuruetur vt fiat arcus.

Tertiò. Formæ artificiales sunt principia motus in eo in quo sunt. Ergo non extrahunt subiectum à limitibus Entis naturalis præcisè. Anteced. per se notum est, adeoque principium quoddam videtur. sensu enim oculorũ quocũque nos vertamus, percipimus nauẽ velocissimè moueri in superficie aquę, cuius velocitatis forma est causa; similiter rota plaustri non ita facilè moueretur nisi haberet rotundam figuram, sic de arte saltandi, cytharisandi, cantandi, & aliis id genus philosophandum.

Respondeo, Quod in præsenti non quærimus an forma artificialis distinguatur à subiecto naturali in quo est, sed an ipsa composita artificialia à naturalibus, ita planè, vt in alio Prædicamento sit compositum ex materia & forma naturali, & in alio ex subiecto & forma artificiali. Sciendum est igitur, quod inter alias differentias artis & naturæ quæ passim à recẽtioribus adducuntur, ista est præcipua, quia forma rei naturalis occupatur circa huiusmodi materiã quæ ad essentiam rei pertinet. hanc enim perficiendo & actuando, ipsa suum esse donat composito, & efficitur eius pars de genere substantiæ: at verò forma rei productæ

Ars & Natura quomodo differant.

per

per artem in superficie exteriori versatur, neque intus illabitur, quia ars nonnisi apparentem elegantiã affectat. Imò vt clarius quod volo dicam, non distinguitur realiter à superficie, sed solum formaliter. omnis siquidem artifex quoties ex materia præsupposita effectum suæ artis intendit producere, nullum prorsus accidens de nouo producit, præter nouam superficiem, quæ est terminus quantitatis in illo corpore, V. G. qui domum ex lignis vel lapidibus sectis construit, dat illi figuram vnã ex diuersis superficiebus partium resultantem, & idem dicendum est de reliquis compositis quæ ab arte fieri solent, vt de veste & calceo. Manifestum est autẽ, quod superficies distinguatur à composito naturali tanquam res à re, & accidens à subiecto, non tantum specie, sed etiam genere prædicamentali, & consequenter res naturalis & artificialis lõgo interuallo differunt abinuicem, vt ingeniosè Aristoteles docuit in textu.

Conclusio. Entia naturalia distinguuntur realiter ab artificiatis. *Probatur.* Forma inducta per artem non consequitur virtutem artis, hoc est non producit aliud simile. nec enim domus aliam domum, quemadmodum equus alium equum progignit. Sed formæ naturales productæ per actionem physicam, sicut eundẽ obtinent modum essendi in principio & in effectu, ita eandem sortiuntur virtutẽ agendi. Ergo entia naturalia distinguũtur ab artificiatis.

Hanc

Hanc rationem desumpsi ex Angelico Præceptore *in 2. contra gent. cap. 76.*

Ad primum igitur dicendum; Nego Conseq. Solum enim debuit inferre, quòd compositum ex materia & forma est subiectum formæ artificialis, cuiusmodi est superficies, vt diximus.

Ad secundum, Nego Anteced. quia producitur nouus terminus quantitatis, qui dat speciē rei artificiatæ, iuxta omnium Philosophorum sententiam.

Ad tertium, Distinguo Antec. Sunt principia motus quantum ad substantiam motui conuenientem, *nego*; quantum ad modum, *concedo*. Quòd enim nauis supernatet aquæ, habet à natura ligni, quoniam plumbea non supernataret, quod verò ita velociter impellatur à ventis, in causa est ars, & sic de alijs quæ in argumento ponuntur dicendum.

ARTICVLVS II.

Vtrum ars possit efficere opera naturæ.

Ars an naturales effectus possit producere.

VIDETVR quod sic. *Primo*. Interdum effectus miraculosi ad quos natura pertingere non potest, producuntur per artem. Ergo à fortiori & effectus naturales poterunt produci. Anteced. colligitur *ex D. Clemente Romano*, qui expressè narrat de Simone mago, quod hominem ex auro creauerit, saxa quasi lutum penetrauerit, in igne positus non arserit,

rit, ſtatuas animauerit; falci præcèperit metere, & ipſe tulit meſſem. De Architа etiam fertur, quòd columbam ligneam confecerit, ponderibus atque aura intus incluſa ita libratam, vt medio aere ſuſpenſa volitaret. Præterea in conuiuio quodam Iarchæ gymnoſophiſtæ fuerunt tripodes aurei qui ſeipſos mouebant, & pincernæ ſimiliter aurei conuiuantibus miniſtrabant, vt narrat Philoſtratus.

Secundo. Aurum eſt res phyſica & naturalis, vtpote ex principiis naturalibus conſtans, quæ ſunt materia & forma de genere ſubſtantiæ. Sed poteſt fieri per artem. Ergo. Minor eſt euidens ab experientia, quia profeſſores Alchymiæ excogitarunt quandã mirabilem induſtriam, vel naturę æmulam, vel potius inuidam, qua aurum ſtudent efformare & de facto efformant.

Tertiò. Sacra Scriptura *Exod. 7. & 8. cap.* refert, quod AEgyptiorum ſapientes ediderunt quoſdã ſerpentes magnos per artem. Ergo exinde videtur ſequi, quod ars non ſolùm attingat opera naturæ, ſed eadem ſuperet.

Reſpondeo, Quod effectus artificiales aſſimilantur naturalibus quoad duo. Et inprimis quoad modum eſſendi: quia ſicut naturalia procedunt à cauſis agentibus per modum cuiuſdam ſimilitudinis, ita vt agens inducat formã in materia ſimilem ei formæ per quam exiſtit, vt planta nonniſi plantam generat & equus equum quaſi alterum ſeipſum, eodem

Similitudo inter effectus naturales & artificiales.

modo artifex ex præconcepto exemplari in mente, producit effectum non sibi simile, sed conceptui, quia vna eademque res est domus ad extra & in conceptu, habens geminum modum essendi, in intentione, & operis executione. Præterea assimilantur quoad modum fiendi, nam sicut agens naturale non in momento effectum perfectissimum quem potest producere producit, sed successiuè, & quidem prius sub esse imperfecto, deinde perfectiori, tandem perfectissimo. impossibile enim est generari perfectiones extremas nō genitis intermedijs, eo quod ordo generationis attenditur penes genus causæ materialis; sicut animal prius generatur quàm homo, & in homine prius formatur embryo siue partus quidā informis, postea diuersitas partiū organicarū, & vltimo forma specifica quæ dat esse hominis: ita similiter artifex conceptū opus ab intellectu prius in exteriori materia adūbrat, deinde lineamentis & superficiebus illuminat, donec ei appareat figura dans speciē, iam non vaga sed certa et definita. Est igitur natura perfectior arte loquendo simpliciter: quod si perfectior, nullo modo ars poterit producere effectus naturales virtute propria. Hoc autē ideo dico, quia duobus modis causa efficiēs est productiua alicuius, vno modo per se, & alio modo per accidens. Tunc *per se producit*, quando ex sua natura & virtute secluso omni alio extrinseco, quēadmodū ignis generat ignē, & iuxta

Natura arte perfectior.

hunc

hunc sensum magi et artifices nequeunt producere effectus naturales, quia omne Ens naturale perfectius est Ente artificiali, et causa quæ operatur per naturam, causa operante per artem. nihil autem agit vltra sphæram virtutis suæ actiuæ. Tunc *producit per accidens*, quando non sua virtute, sed applicando actiua passiuis, ideoque solùm est causa sine qua nõ, & ita libenter concedimus partem affirmatiuã huic Articulo, quia & medici applicant virtutes herbarũ & radicum humanis corporibus, vt efficiant sanitatem congruã & dispositionẽ naturalem in corpore, & Dæmones altiora his nonnunquam possunt efficere, quia habent scientiam exactissimam de rebus physicis & qualitatibus earundẽ, diuturnam & multiplicem experientiã, vires validissimas, & huiusmodi. Possunt ergo animalia imperfecta componere, vtputa serpentes, lacertas, ranas & muscas, cum etiam ex putrefactione absque concursu alicuius seminis generentur, nequeunt tamen corpus humanum mutare in corpus bestię, aut mortuũ viuificare, & si aliquando videatur hoc esse, non tamen est secundũ veritatẽ, sed secundum apparentiã, quia ipse dæmon in phantasia hominis format aliquam speciem et exemplar rei, ratione cuius videtur ita esse ad sensum; plerumque etiam ignorant magi quopacto dæmon applicet actiua passiuis, & hoc in eorum perditionem agitur. Vide Angelicum Doctorem

in lib. 3. contra gent. cap. 105. 106. 107. Martinum del Rio Societatis Iesv *in 1. tomo Disquisitionum magicarum lib. 2. Qu. 4. & sequentibus.* Quin etiam Baronium 4. *tomo Annal. circa annum Saluatoris* 370.

Conclusio. Nulla ars potest per se efficere opera naturæ. *Probatur.* Ars cum effectibus suis est de genere accidentis. Ergo non habet virtutem per se producendi substantiam, alioquí effectus esset perfectior causa.

Mirabile & miraculosum.

Ad primum igitur dicendum, Nego Antecedens: quia non omnis actio mirabilis est miraculosa; dicitur enim aliquid mirabile cuius ignoratur causa, vt si videres in hoc Lectorio secari lignum, & serram occultè ab aliquo angelo appositam non videres, vel trahi à magnete ferrum, eclipsari lunam, & huiusmodi. Cæterùm miraculosum illud est, quod excedit omnem facultatem creaturæ, & quanto aliquid magis excedit, tãtò magis de ratione miraculi participat. Vnde illa omnia quæ fecerat Magus apparebãt quidem esse propter immutationem phantasię, non tamen erant. Quæ autem de paganis circumferuntur, vel ad fabulam pertinent, vel ad dæmonum præstigias.

Ad secundum, Nego Minorem; quia Alchimistæ solùm faciunt aliquid simile auro quoad accidentia extrinseca, sed non verum aurum, forma enim eius substãtialis non per ignẽ quo vtuntur artifices, sed per calorẽ solis in loco de-

determinato vbi viget virtus mineralis, producitur. Quod si volueris adhibere experientiam, applica huiusmodi aurum ad ignē, & statim consumetur, citissimè amittet colorem, nec poterit in tenues laminas duci. Si quis autem vendat illud pro vero, tenetur ad restitutionem.

Ad tertium. Distinguo Antecedens. Ediderunt serpentes, virtute propria artis, *nego*; virtute causarum naturalium quas applicabant, *concedo*, hoc est per accidens, vt dictum est.

ARTICVLVS III.

Vtrum ars imitetur naturam.

VIDETVR quod non: *Primò*. Omne agēs per naturam, agit necessariò, sicut ignis non potest materiam applicatam non comburere. Sed agens per artem est liberum. Ergo ars non imitatur naturam. Minor est euidens, quia artifex quando & quousque vult operatur.

Secundo. Forma cuiuslibet rei naturalis est substātia, vt antea fuit probatum, sed res productę per artem non subsistunt in tali forma, cùm sint de genere accidentis. *Ergo.*

Tertiò. Principia rei naturalis sunt à natura siue totum fiat homogeneum siue heterogeneum. Sed in effectu qui per artem producitur est aliquid à natura, & aliquid ab arte. Ergo vt

go vt prius. Minor patet in lapidibus & lignis quæ in domo sunt.

Duo artiū ordines.

Respondeo, Quod duo sunt ordines artium. quædā enim nullius sunt productiuæ, vt ars cantandi vel cytharisandi; quædam vero producunt aliquid, sicut domifactiua, pictoria, & si quæ sunt mechanicæ. De his igitur loquendo, sustinēt Philosophi quod imitentur naturā veluti quædam simiæ ipsius. quidquid enim illa facit, imitari suo modo conantur, vt ars faciēdi lateres, imitatur causas naturales quibus producuntur lapides, & ars pingendi hominem, dispositionem corporis. Vnde videmus ex vsu diuersarum artium nouum quendam mundum processisse, adeò vt ille prior quem ab initio Deus condiderat fundamentū quoddam huius extiterit. nam sicut Natura diuinam artem, ita humana Ars Naturam quoad fieri potest, æmulatur: & quemadmodum exemplar Naturæ est sapientia diuini intellectus; ita exemplar humanę artis Natura est, & tantò amplius commendatur ars, quanto magis ad naturam propius accedit, resque viciniores imitando exhibet, quemadmodum natura quò diuinam artis præstantiam magis exprimit, eò altiorem gradum in entibus obtinet, iuxta quem modum *Zeuxis* vuas ita eleganter expressérat in tabula, vt eò aues diuersi generis aduolarint: & *Apelles* Alexandrum Magnum fulmen in manu tenentem, cuius digiti prominere, & fulmen extra tabulam esse videban-

debantur, abieratque in Prouerbium, duos esse Alexandros, vnum Philippi filium nullis viribus superabilem; alterum opus Apellis nulla arte imitabilem.

Conclusio. Ars imitatur naturam in quãtum potest. *Probatur.* Sicut natura educit formam de potentia materiæ, disponendo prius illam & tandem gignendo Ens naturale; ita artifex ex dolatis lapidibus & lignis facit domum, ex mollificato ferro ensem, & ex marmore statuam. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Consequentiam. Non imitatur secundum imitationem & similitudinem vniuocam, quæ est in omnibus, *concedo*; analogam & secundũ quid, *nego*, vt ostensum est. sufficit enim modus essendi æqualis, modus fiendi, & alia enumerata.

Ad secundum & tertium eadem est solutio.

ARTICVLVS IV.

Vtrum scientiæ mediæ inter Physicam & Mathematicam sint magis physicæ.

VIDETVR quod non. *Primò.* Astrologia tenet locum præcipuũ inter Mathematicas disciplinas, vt ostenditur *lib.* 12. *Metaph.* Sed est media, *vt ex Arist. colligitur in præsenti.* Ergo scientiæ mediæ inter Physicam & Mathematicam sunt magis Mathematicæ. *Astrologia.*

Secundo. Principium cuiuslibet scientiæ est definitio formalis Obiecti, & consequenter

illa doctrina quę procedit ex principiis Mathematicis est absolutè Mathematica, & quæ ex Physicis physica. Sed scientiæ mediæ procedunt ex principiis Mathematicis. Ergo non magis sunt Physicæ. *Minor* patet in Musica, quæ numerum sonorum considerat pro obiecto; eius autem definitio formalis pertinet ad Mathematicam.

Tertiò, Ex verbis D. Thomæ super Boetium *De Trinit.* vbi expressè docet, quod scientiæ mediæ magis sunt Mathematicæ. Ergo vel contrariatur Aristoteli, quod dici non potest, vel doctrina est nulla.

Scientiarum ordines.

Respondeo, Quod scientiæ habent tres ordines, quædam enim sunt purè physicę, quædam Mathematicæ, & tandem intermediæ. Differunt autem in hoc, quia purè *Physica* habet pro Obiecto *Ens mobile*, prout concernit materiã & motum communem abstrahendo à particulari. Purè *Mathematica quantitatem* sine aliquo respectu ad materiam & motum, vt quod Triangulus habeat tres angulos, etiamsi non exprimatur subiectum in quo est, vt lapis marmoreus aut paries; & Arithmetica cõsiderat numerum absque his quæ numerãtur. Porro *scientiæ intermediæ quantitatem* habent pro Obiecto, non tamen absolute, sed *prout est ad aliquam materiam sensibilem contractæ*, quemadmodum *Perspectiua lineã visibilem*, sed non lineã vt sic: & media est inter Physicam & Geometriam. similiter *Musica numerũ sonorum*,

rum, quia habet pro extremis Physicam, à qua sonorum accipit, & Arithmeticam, vnde est numerus. Est igitur in huiusmodi scientijs duo considerare, sicut omne Ens quod habet aliquid materiale & aliquid formale sortitur duas species, vt Franciscus est in specie Corporis & Hominis; primò consideranda est illa res quæ scitur per modum Obiecti, secundò ratio formalis sub qua, non enim secùndum omnem rationem scibilem, & secundum omnem modum quo res cognoscibilis est, ab vnaquaque scientia cognoscitur: & huiusmodi ratio est abstractio à materia, quemadmodũ Perspectiuus tractat de lineis radiorum visualium, non vt ordinantur ad talem vel talem finem, nec in quantum procedunt ab aliqua causa determinata, sed prout certos angulos faciunt in Obiecto. Scientiæ itaque mediæ sunt magis Physicæ ex parte materialis, quia finis illarum est, explicare lineam vel numerum non in vniuersali, sed prout sunt contracta ad res physicas: cæterùm ex parte rationis formalis sunt Mathematicæ, quia abstrahunt in materia rem existentem ac si non existeret; & ita si volueris vtramque partem difficultatis defensare in hoc vel illo sensu, non magis contradices Articulo, quàm affirmando repidum esse magis calidum & frigidum respectu diuersorũ, nã respectu intensi calidi est frigidum, & respectu intensè frigidi calidum.

Quid in eis considerandum

Conclusio. Scientiæ mediæ inter Physicam &

Mathematicam, sunt magis Physicæ. *Probatur.* Tractant de his quæ possunt quidem considerari sine materia, & nihilominus per applicationem ad aliquam materiam sensibilem considerantur. Ergo materialiter sunt magis Physicæ.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Conseq. Sunt magis Mathematicæ, Pro formali, *concedo*; & huiusmodi sunt principia & media demonstrandi (petuntur enim hæc singula à Mathematicis) Pro materiali, *nego:* quia res quæ per tale medium cognoscitur, est magis physica, vt dictum est.

Ad secundum, Distinguo similiter Conseq nō enim sensus est verborum, quod scientiæ mediæ magis se teneant ex parte naturalium scientiarū, quàm ex parte Mathematicarum, sed quod inter omnes Mathematicas ipsæ magis ad naturales appropinquent: neque aliud docere voluit Angelicus præceptor *in præfato loco ad tertium,* Et hæc notanda erant circa primam partem istius libri secundi.

SVMMA TEXTVS IN secunda Parte.

PRIMA *Conclusio.* Ad Philosophum naturalem pertinet disputare de causis. *Probatur.* Consideratio rerum quæ est propter scire, debet ante omnia primas obiecti causas statuere, ad quas suas demonstrationes reducat. tunc enim scire opinamur vnumquodque, cum rei causas vsque ad elementa percipimus.

Sed

Sed Physica est propter scire rem. Ergo præ-
nosse debet eius causas, & de illis disputare.

Secunda Conclusio. Genera causarum quatuor
sunt, *Materiale, formale, efficiens, finale. Proba-*
tur. Vno modo dicitur aliquid causa, ex quo
fit aliquid cùm insit, vt æs statuæ, & argentum
phialæ. Deinde velut species & ratio ipsius
quod quid erat esse, vt anima hominis. Præter-
ea, vnde principium mutationis & quietis pri-
mum, sicut consilians, perficiens siue inducens
formam, præparans seu disponens materiam,
& adiuuans. nam consultor eum mouet qui o-
pus est facturus, & si quæ alia sunt huiusmodi.
Tandem vt finis, cuius gratia aliquid, vt am-
bulandi sanitas, propter quid enim ambulat?
dicimus vt sanus sit, & hoc modo causam opi-
namur assignasse. Ergo. Vnde possunt esse cau-
sæ plures non eiusdem generis sed diuersorũ
eiusdem effectus per se, vt statuæ statuarius cũ
lapide, & vna alterius esse effectus. sunt enim
sibi inuicem causæ, & hoc etiam in diuersis ge-
neribus, vt medicina efficiens sanitatis est cau-
sa, & effectus in alio genere, hoc est causæ finalis
: eadem autem causa diuerso modo se ha-
bens, effectus potest causare contrarios, vt gu-
bernator nauis si præsens est incolumitatem
nauis, absens submersionem.

Caussarũ diuisio.

Tertia Conclusio. Modi causarum numero
quidem multi sunt, in capita vero contracti
quatuor. *Probatur.* Aut enim sunt *priores* seu
vniuersales, aut *posteriores*, vt videre est
in

Modi cau sarum.

in Deo, orbe cœlesti, & hoc leone. Amplius, *per se & per accidens*, quod enim alicuius principium est propriũ, vt statuarius causa statuę, per se est, illud autẽ quod non est, accidit autẽ effectui intento à causa per se, per accidens, vt musicus statuario. est enim statua ab eo qui non est musicus. Præterea *propriè dictæ*, & *secũdum accidens*, aliæ quidem vt *potentes* dicuntur *operari*, aliæ *operantes*, siue in actu & potentia causæ, veluti ædificãdæ domus aut ædificator, aut etiam ædificans est. aliud enim scire est, aliud scientia vti. Postremò quædam *connexæ* & *coniunctim* dicuntur, vt Polycletus statuarius; aliæ *seorsim*, vt Polycletus & statuarius. primum enim statuæ causa per accidens est, secundum per se. Ergo.

Casus & Fortuna.

Quarta Conclusio. Casus & fortuna de generibus causarum sunt. *Probatur.* Multa effectui eueniũt in quem causa per se intendit, vt quia fossor causa fossionis, præfinitum ordinem modumque ad huiusmodi effectum habet, sed potest esse musicus, albus, senex aut iuuenis, & inuenire viperam, thesaurum aut carbonem. Ergo illa fieri dicuntur à fortuna & casu, quæ nec fiunt necessariò, nec plerumque, sed rarò, Ergo sunt de genere causarũ. Differunt tamen adinuicem, quia *Fortuna* est causa per accidẽs in ijs quæ secundum propositum fiunt, propter finem, raroque contingunt, & quibus nõ contingit agere, ijs neq; fortuna continget agere aliquid brutis nãque animalib. & pueris ante

vsum

vsum rationis vt non euenit felicitas, ita nec fortuna. libertate enim carẽt & dominio actuum sed *Casus* patet latius quam Fortuna, qui inanimatis & viuentibus commune quoddam, vt patet. *Casus.*

Quinta Conclusio. Natura propter finem agit ex necessitate. *Probatur prima pars.* Ea quæ aut semper fiunt aut frequenter, non fiunt à casu vel fortuna, sed à proposito, illa enim sunt de his quæ contingunt rarò. Sed quæ à natura fiunt, semper aut frequenter eueniunt. Ergo propter finem. nam quod in hyeme sit frequẽs pluuia, contingit sæpè, oppositum rarissimè; & Sole caniculam intrante calores frequentes: quod si nec pluuia nec calor, à casu, sicut monstrum quod natura non intendit: sed ea quæ principium habent internum, quo non promiscuè ac sine discrimine ad quemlibet finem, neque omnia ad eundem, sed vnumquodque ad suum, nisi aliquo impedimento teneantur, solent peruenire. *Secunda pars.* Tam in naturalibus quam artificiosis materia est necessaaia, ob finem aliquem, nam murus alicubi est factus causa abscondendi supellectilem, & homines à tempestatibus saluandi, & si quæ alia sunt huiusmodi. Ergo.

Hæc decentur in Textu.

QVAE.

QVAESTIO IX.

De causis rerum naturalium in communi.

ARTICVLVS I.

Vtrum causa physica distinguatur à principio.

VIDETVR quod non. *Primò.* De ratione principij est, quòd sit aliquid prius à quo ordinatè procedit aliud. Sed nihil plus clauditur in ratione Causæ, nisi ordo & prioritas ad effectum, quia non apparet quidnam sit illud. Ergo principium non distinguitur secundum rationem formalem à causa.

Secundo. Si distinguuntur hæc duo per suas rationes formales, hoc certè ideo est, quia vnũ est superius quã alterum, scilicet principium. Sed hoc dici non potest. omne enim principiatum est effectus, quia factum est à principio, ac proinde omne principium causa. Ergo.

Tertiò. Aristoteles docet *in 4. lib. Metaph. tex. 3.* quod ita Ens & Vnum sunt conuertibiliter idem, sicut Principium & Causa. Ergo non distinguuntur.

Disputatio de Causis quòd pertineat.

Respondeo, Quòd de causis quatenus principia sunt cognitionis ad Logicum pertinet disputare, vt patet *in lib 2. Posteriorum*, quia & Demonstratio est Syllogismus pro medio habens causam passionis quæ de subiecto concluditur, sicut est rationale respectu risibilis. in quan-

quantum verò sunt differentiæ Entis, ad Metaphysicam, quippe inter alias diuisiones habetur etiam hæc; sed physicus ea ratione differit de quadruplici genere causarum, prout applicantur ad suos effectus inducendo formas in materiam, V. G. de corpore humano spectat ed eum dicere, prout est receptaculum animæ intellectiuæ & altera pars compositi. Vt autem discrimen inter Principium & Causam percipias, notandum est, quod Principium est relatiuum secundum dici, ac proinde rem absolutam significat sub quodam respectu cóplente aliqualiter rationem formalem ipsius; & talis est relatio ordinis ad id cuius est principium, quæ tamen non clauditur in ratione intrinseca principij, quia possibile est intelligere aliquid esse alterius principium, non intellecta relatione ordinis secundum prius & posterius, sicut punctum est lineæ principium, & respectu eius habet relationem, cum tamen in se sit aliquid absolutum de genere quantitatis saltim reductiuè. eodem modo Præmissæ Syllogismi Demonstratiui dicuntur principia Conclusionis, & si quæ alia sunt huiusmodi. Abstrahit itaque Principium *à prioritatè*, ab *efficientia*, & distinctione essentiali. A *prioritate* quidem, quia non est necesse vniuersaliter principium esse prius illo quod ab eo procedit, sicut Theologi docent Patrem in diuinis esse principium Filij, non tamen priorem, nisi secundum originem. Ab *efficientia*, quia non omne

Principium.

omne Ens fluit à principio effectiuè, vt in motu & termino à quo ipsius, in die & crepusculo est manifestum. Caterum *causa est id ad cuius esse sequitur aliud.* Vbi tres particulæ sunt notabiles, prima est, *ad cuius esse.* nihil enim potest alteri dare esse, quin prius illud in se habeat, vnde & priuatio virtute istius vocabuli excluditur à numero causarum, tanquam negatio formæ & Entis. per hoc autem, *sequitur*, debet intelligi consecutio physica, qua ex vno fit alterum cum iusluxu & dependentia, quemadmodum ex Sole splendor, & calor ex igne sequitur, non vero Logica, per quam Consequens infertur discursu rationis ex Antecedente, sine vllo tamen influxu reali. Vltimò adiuncta est ista particula, *Aliud*, & designat diuersitatem essentiæ inter effectum & causam, ita vt in causa sit alia natura, & alia in effectu.

Causa.

Conclusio Causa in communi distinguitur secundum rationem formalem à principio. *Probatur.* Illa distinguuntur formaliter quorum vnum addit aliquid supra rationem alterius, vt homo & substantia. Sed Causa addit super rationem principij prioritatem, dependentiã, & distinctionem realem ab effectu. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorem. apparet enim ex dictis quidnam illud sit.

Ad secundum, Nego Minorem quia adæquatum correlatiuum causæ est effectus, sicut principij correlatiuum, Ens à principio, sed contracti

tracti ad causam, principiatum.

Ad tertium, Dico, quod Aristoteles in præfato loco non accipit principium in sua communitate, sed cõtractè, prout dicitur ad principiatum. nam sic coincidit cum causa, vt dictum est.

ARTICVLVS II.

Vtrum Causarum genera sint quatuor.

VIDETVR quod non. *Primò.* Causa est id ad cuius esse sequitur aliud, & sine quo res effici non potest. Sed multa sunt huiusmodi. accipe enim locum, tempus, & motum, tũc sine his res Physica produci & conseruari non potest. nam quod generatur in loco habet esse, per motum incipit, & à tempore mensuratur, Ergo. *De numero causarum.*

Secundò. Causare idem significat quod agere. Sed materia nullius est actiuitatis. Ergo nõ est causa. *Minor*, est enim pura potẽtia ad esse, vnũquodque autem agit vt est in actu, sicut patitur vt in potentia.

Tertiò. Quælibet causa debet præcedere effectum; hæc enim est illa prioritas quam addit supra rationem principij. Sed finis est quid vltimũ, quo habito cessat motus & generatio. Ergo iniquè numeratur in causis.

Respondeo, Quod circa numerũ causarum diuersimodè locuti sunt antiquiores Philosophi.

De numero causarum.

nam cõmunis fuit Stoicorum consensus, quod solum Efficiens sit vera causa, & reliqua quæ ad productionem effectus solent concurrere, conditiones potius vocari debeant, alioquin in incerto quodã numero multiplicarentur, vti est *Locus, Tempus, Motus, Præsentia physica, Existẽtia actualis, & ipsa Actio*, sine quibus non potest intelligi productio & conseruatio effectuum. Hoc idem videtur sentire D. Augustin. *in Q. 28.* dum ait: *Qui quærit quare voluerit Deus mũdum facere, causam quærit voluntatis Dei. sed omnis causa efficiens est, omne autem efficiens maius est quã id quod efficitur, nihil autẽ maius est voluntate Dei.* Sed quidquid sit de opinionibus antiquorũ, sententiam Aristoteli, qua asserit quatuor esse duntaxat causarum genera, ita vt nec plura nec pauciora, omnes Scholastici amplectuntur, tanquam certissimũ Peripateticæ Philosophiæ principium, cuiusmodi sunt *Materiale, Formale, Efficiens, & Finale*, ad hęc enim singula sequitur esse aliud, quod est de ratione causæ, de quibus non vniuocè prædicatur sed analogicè per attributionem, quia secundum prius & posterius, quemadmodũ & sanitas de animali inprimis verificatur, postea de medicamentis, & sic deinceps. Quia tamen difficile est inuenire, quęnã causa priorẽ locum habeat, idcirco obseruabis diligenter quatuor ordines iuxta quos disponi possunt. primò ex parte effectus, quopacto *Materia* & *Forma* priores sunt quàm Finis cũ Efficiente, quia sunt causæ intrinsecæ. deinde secundum intentionem & in-

stitutũ agentis, & in hoc sensu è cõtra ordinari debẽt. nã *Finis* prior est qui excitat ad agendũ; postea *Efficiens*, tandẽ *Forma & Materia* ordinãtur etiã secundũ esse existentiæ, iuxta quẽ modũ Efficiens præcedit materiã & formã, & vltimò finis subsequitur. deniq; secundum modũ agendi, & ita prior est Forma, quia vnũquodque agit in quantum est actu. hanc immediatè Efficiens sequitur quod à se iuxta modum formæ actionem emittit, impellitur autem à Fine, & in materia efficientiam explicat.

Conclusio. Causarum genera sunt quatuor, vt puta *materialis formalis, efficiens, finalis*. Probatur. Tot causæ sunt, quot modis ad quæstionem propter quid aliquid fit respõdemus, sed interrogati, propter quid Petrus homo est, respõdemus *per formã*, qa rationalis; propter quid pluit? quia vapores in media regione aeris concreuerunt, & hæc *materia est*; quare bellũ susceperũt Thebani aduersus Phocenses? per *causam mouentẽ*, quia illi templum Delphicũ spoliarũt; & propter quid Poloni Moscouitis bellũ inferũt? *causam finalẽ* vt latiùs imperarent. huius enim gratia fit aliquid. si ergo non pluribus modis ad quæstionem propter quid respõderi solet, tot causæ erunt, & non plures nec pauciores.

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorem. Potius. n. appellãdæ sunt cõditiones sine quib. nõ, & non causæ, quemadmodũ applicatio materiæ combustibilis ad ignem, est conditio sine qua nihil comburitur, & tamen quis vnquam docuit illam esse causam?

Ad secundum, Nego Maiorem absolutè, quia causare est quid communius ad efficere, finalisare, materialisare, & informare; vnde materia verè & proprijssimè causat, dum concurrit in genere subiecti ad recipiendum formã quæ de illius potentia educitur. sed de hoc in sequentibus erit disputatio peculiaris.

Ad tertium, Distinguo Minorem. Finis est quid vltimum, ex parte effectus & in executione, *Concedo*; secundùm institutum agentis, & in intentione, *Nego*, vt dictum est.

ARTICVLVS III.

Vtrum idem numero effectus possit procedere à pluribus causis totalibus eiusdem generis, simul & adæquatè concurrentibus.

VIDETVR quod sic. *Primò*. Possunt plures angeli quorũ quilibet est totalis & sufficiens causa, portare idem pondus per milliaria quatuor, hoc est, eundem lapidem, quid enim prohibet ne istud fieri possit? imo nonnunquã plures existunt in eodem loco per applicationẽ virtutis actiuæ ad agendũ, vt patet in nocte natiuitatis Domini, quando laudẽ altissimo Deo pro tanto munere humano generi concesso cecinerunt; & in illo dæmoniaco obsesso quẽ Lucas describit, legio fuit spirituũ, quæ complectitur dæmones sex millia sexcẽtos sexaginta sex, vbi enim operantur angeli, ibi

De cõcursu causarum.

ibi sunt localiter. Ergo plures causæ eiusdem generis & ordinis possunt concurrere ad producendum eundem effectum.

Secundo. Si hoc negaueris, sequũtur inconuenientia quamplurima, in primis, quod idem effectus non posset corrumpi ab agentibus diuersis in eodem genere & ordine concurrentibus, vtputa ignis ab hac & illa aqua; deinde si ad lignum summè dispositum applicarentur tres ignes, quorũ quilibet sufficiens esset ad generandũ ignem, à nullo ipsorum actio dimanaret, & lignum omninò incombustũ maneret, quo quid absurdius? Præterea, si duo corpora luminosa eiusdẽ virtutis æquale lumen continerent, quorũ vnum ita posset illuminare sicut alterum, & simul afferantur in hoc gymnasium, interrogo, aut illuminant simul medium, aut non? discurras hic fusiùs. Ergo.

Tertiò. Angelicus Præceptor & cum eo vniuersa schola Theologorũ, expressè docet quod plures sacerdotes possunt simul vnã eandẽque hostiã consecrare, & de facto consecrant quando assistunt Episcopo celebranti in collatione Ordinis. Ergo.

Effectus idem an à pluribus causis.

Respondeo, Quod quia res est manifesta eundẽ numero effectum posse à pluribus causis diuersorũ generũ produci, vt ab efficiente, formali & deinceps, ideo de causis eiusdẽ generis tãtum, nõ formalibus, aut materialibus, sed dũtaxat efficientibus quęritur, *efficientibus*, inquã totaliter & adęquatè. possunt.n. plures cõcurrere

rere partialiter, qualibet earum partem effectus causante, vt cum duo homines ferũt lapidem, vel ædificant domũ. Hoc igitur supposito, resoluo Dubium, & dico quod hoc fieri non potest per virtutẽ cuiuscunque causæ creatæ, quia natura non deficit in necessarijs, neq; abundat in superfluis. abũdaret autẽ data hac hypothesi quod plures simul concurrerent totaliter. si enim vna illarũ sufficiens est ad agendũ, frustra adhibentur aliæ, & illud superfluũ nos dicimus, quod si defuerit, nihil obstat, quo minus idem sequatur effectus Neque etiã diuina virtute possibile est hoc fieri, quia euidẽter contradictionem implicat dependere effectũ à tua causa & non dependere ab eadem, quemadmodũ hominẽ esse & non esse animal. si enim omnes totaliter causant, dependet simul ab omnibus, & si vna earũ hoc idem præstat quod omnes, nõ dependet à reliquis, quia producibilis est absque concursu illarũ. ex improducibilitate enim colligitur independẽtia. Sed nõ repugnat plures causas instrumentales hoc posse efficere, quia sacerdotes eandẽ hostiã cõsecrant virtute Dei, nõ vnus partẽ vnã hostię & alter aliã, sed omnes totã. si autem concurrerent totaliter virtutibus proprijs, vno eorũ cõsecrante, frustra agerẽt alij, si quid agerent.

Conclusio. Impossibile est eundem numero effectũ produci à pluribus causis eiusdem generis & ordinis, simul & adæquatè concurrẽtibus. *Probatur.* Distinctæ causæ efficientes to-

tali-

taliter habēt diuersas efficientias. Ergo diuersas actiones, quæ terminantur ad effectus totales, Ergo impossibile est ita produci.

Ad primum igitur dicendum. Nego Anteced. nā quotiescunque plures angeli simul concurrūt tanquā causę totales ad ferendum pondus, nūquam illud mouebunt, sed vnus alterū impediet, vel erūt causæ partiales. In eodē loco materiali possūt existere, qui est ipsa res circa quā operantur, vt cubiculum aut homo obsessus; non tamen formali propter diuersam applicationem virtutis ad operandum. Verum hæc omnia sufficiat tibi adhuc tirunculo addiscenti Philosophiam breuiter delibasse. longior enim discursus ex Theologia hauriendus est.

Ad secundum, Nego sequi prædicta inconuenientia, quia rem desinere esse & corrumpi, cōtingit à pluribus causis partialibus, sicut ligni combustio, & aeris illuminatio.

Ad Tertium, Distinguo Antecedens. Possunt instrumentaliter diuina virtute, *concedo*; propria, *nego*, vt explicatum est.

ARTICVLVS IV.

Vtrum causa in actu & effectus in actu simul sint & non sint.

VIdetur q. nō. *Primò.* Quælibet causa effectu suo prior est, & hāc prioritatē addit supra rationē principij, vt antea dictū est. Ergo nulla pōt esse simul cū eodē. nā Prius cōdistinguitur à simultate, vt in post prædicamentis docetur.

Secundo. Demus hunc casum, quod ignis ca-

lefaciat lignum eo fine vt alterum ignem generet, pro quo ſpacio ſuperueniens aliquis infundit aquam & extinguit ignem, tunc ſic argumentor: Eſt hic cauſa in actu, & tamen effectus non in actu. Ergo pars negatiua tutior.

Tertio. Non omne productum neceſſariò producitur, quia ſunt aliqui effectus contingentes, vt inuentio theſauri; & aliqui liberi, vt deambulatio Socratis. Ergo non eſt neceſſe vt poſita cauſa in actu, ponatur effectus ſimiliter in actu.

Cauſæ nomine quid ſignificetur.

Reſpondeo, Quod nomine cauſæ tria poſſunt ſignificari, videlicet *res illa quæ cauſa eſt; cauſalitas qua res cauſat, & relatio ad cauſatum*: nec parui refert, quid horum accipiatur in propoſito. Tunc autem eſt cauſa in actu Entis & rei; quando illam concipimus prout actu exiſtit, abſque hoc quod operetur actu, quemadmodum ædificator etiamſi non ædificet, eſt cauſa domus in actu entitatiuo, ſic curſor, concionator, & huiuſmodi. In actu verò cauſę, quando exiſtit, & vltra hoc cauſat, quēadmodum ignis calefaciens manum, & Sol generans floſculum. Tandem relatio ad cauſatum eſt quid poſtremum, vt patet. Si quis ergo diligenter intueatur doctrinam & proceſſum Ariſtotelis, deprehendet manifeſtè, quod cauſæ nomine hic non intelligitur res illa quæ eſt cauſa per modum Entis, quoniam vniuerſaliter verum non eſt, verè cauſam hoc modo, id eſt, rem, quæ verè eſt res cauſans, eſſe ſimul

cum

cum eo cuius est causa, & fieri cum fit, vt patet de arte & artificiato, & vniuersaliter in agentibus physicis: nec diuisiones causæ in hoc libro factæ locum haberent. Nec minus perspicuum est, quod relatio hic non intelligatur, quoniam de causa loquimur vt causat effectum; sed relatio causæ nec effectum ipsum, nec effectus ad causam relationem causat. Vnde reliquum est, quod causæ nomine ipsa causalitas, vel vt ita dixerim, operatio intelligatur, seu res sub causalitate, & quidem meritò: quia abstractum causæ est causalitas, & quemadmodum album pro formali puram albedinem, ita causa puram causalitatem significat, nomina autem formaliter sumenda sunt, prolata præsertim à tanto Philosopho. In hoc igitur sensu verum est causam ea ratione qua est causa, & effectum in ea ratione qua effectus simul existere, adeò vt si est causa quæ in fieri causat, effectus in fieri est, & si in facto esse, effectus iam est. quando enim architectus domum erigit, domus illa erigitur, & postquam erectio fuerit completa, domus erit in actu. Quoties itaque audieris, *posita causa poni effectum, & sublata, tolli*, vel alia huiusgeneris axiomata, formaliter nomen contemplans, & causalitatem ipsam considerans, clariorē habebis aditum ad dicta Philosophorum penetranda.

Causalitas.

Conclusio, Causa in actu & effectus in actu simul sunt & non sunt, *Probatur*. Extrema cuiuscumque relationis ita se habent, quod si v-

num est, necessarium sit aliud esse. Sed causa vt est res sub causalitate,& effectus, sunt huiusmodi extrema. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Antecedens. Prior est effectu, sumpta pro entitate vt res quædam est, *Concedo;* pro re quæ habet causalitatem, *nego.*

Ad secundum. Nego Antecedens, quia tunc effectus licet non sit in facto esse, tamen est in fieri, vtputa calefactio quę ordinatur ad ignem generandum.

Ad tertium Distinguo Consequentiam. Non est necesse, secundum necessitatem consequẽtis, *Concedo;* secundum necessitatem cõsequentiæ, *nego,* quæ tunc est quando in discursu vnũ infertur ab alio, vt si ego te video legentem tu legis. cæterum si aliqua res in se est necessaria propter connexionem terminorum vel aliunde, est necessitas consequentis. *Hæc de præsenti Quæstione dicta sint, descendamus iam ad explicandum quodlibet genus causæ in particulari.* sequitur ergo

QVAESTIO X.

In qua de singulis causarum generibus sigillatim disputatur.

ARTICVLVS I.

Vtrum recipere formam sit causalitas materiæ.

VIDETVR quod non. *Primo.* Pati non est causare. Sed materia est principiũ passiuum

uum respectu formæ quam suo gremio excipit. Ergo non potest aliquam exercere causalitatem.

Secundò. Data causalitate materiæ circa formam, admittendum esset animam rationalem pendere à corpore vt à causa sui esse. Sed hoc immortalitati eius repugnat, & est dogma absque omni dubio hæreticum, à Patribus & Ecclesia damnatum. Ergò nulla est ipsius causalitas. *Maior*, si enim materia est causa animæ, sequitur ad illam esse ipsius. non potest autem fieri naturaliter, vt id quod à materia habet esse, extra materiam cohæreat.

Tertiò Forma cuiuslibet compositi naturalis est de genere substantiæ, vt antea fuit ostensum & probatum. Ergo non recipitur in aliquo subiecto, hoc enim est proprium solis accidentibus. Ergo recipere non est causalitas materiæ.

Respondeo, Quod circa decisionem huius Articuli, notanda est in primis illa antiqua & cõmunis materiæ diuisio. Triplex enim est, *in qua, ex qua, & circa quam.* Dicitur materia *in qua* siue *inhæsionis*, quæ est subiectum alicuius formæ de genere accidentis, vt paries albedinis. *Ex qua* siue *compositionis*, quę manet in re genita & producta velut pars essentialis ipsius, vt lapides in domo. Porrò *circa quam* siue *attributionis*, est Obiectum potentiæ vel habitus, vt color est materia visus, & pericula belli fortitudinis, de qua nihil ad

Materia triplex.

præ-

præsens, quia causalitas huius materiæ est quodammodo formalis. dat enim Obiectum vnitatem & speciem habitui vel potentiæ per rationem, quæ vulgo appellatur *sub qua*. Si ergo volumus considerare materiam in qua & ex qua de genere substantiæ, tunc eædem sunt res sub diuerso respectu ad formam & compositum. in illa enim est Forma, & ex eadē Compositum. Censetur autem causare per hoc, quia recipit & sustentat formam velut potentia passiua. Vnumquodque enim patitur in quantum recipit. & hoc etiam respectu animæ intellectiuæ est verum, quæ licet quoad esse non sustentetur à materia, tamen quoad actū informandi existit in illa, hoc est, quoad vnionem. Modus verò quo causat & recipit, est limitare, restringere, & coarctare amplitudinē ipsius formæ, quæ si daretur nō in materia existens, omnem gradum et perfectionem suæ naturæ debitam in specie obtineret, sed ex quo iam in materia recipitur, accómodat seipsam & proportionatur illius capacitati. omne siquidem receptum est in recipiente per modū recipientis, & ita non secundùm omnem modum possibilem recipitur, sed prout exigit conditio subiecti. Accipe exemplū in calore ignis, qui in ferro intensius esse habet, quam in tabula.

Materia vt causet. *Conclusio.* Materia habet specialem causandi rationem, quæ est formam recipere. *Probatur.* Illa est assignāda materiæ causalitas, per quam

fecer-

secernitur ab alijs causarum generibus. Sed huiusmodi est recipere. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Maiorem. Pati non est causare efficienter, *concedo*; subiectiue, *nego*. non tamen materia est passio, sed principium illius, vt patet.

Ad secundum, Nego Maiorem, non enim pendet anima intellectiua à materia velut à causa sui esse, sed quatenus sine eius consortio nec informandi munus administrat, nec etiam ad complendam absoluendamq; speciem humanam pertingit.

Ad tertium, Distinguo Consequentiam primam. Non recipitur in aliquo subiecto actuali, *concedo*; potentiali, *nego*. est autē proprium accidentibus aduenire enti in actu, et dare esse secundum quid, quod verò in potentia recipitur, dat esse simpliciter, et talis est forma compositi naturalis.

ARTICVLVS II.

Vtrum causalitas formæ sit dare esse.

VIDETVR quod non. *Primò*. Forma prius natura componit totum quam illud fit. Ergo prius natura est, et consequenter in illo priori non est causalitas ipsius dare esse. *Formæ causalitas.*

Secundò. Compositum materiale est nobilius sua forma, cūm ipsam contineat & insuper materiam quæ sunt Entitates diuersæ, deinde quia habet esse completum & perfectum, forma

ma verò incompletum, & tandem prius à natura intenditur, & forma propter ipsum. Ergo non potest esse effectus formæ. Ergo non desumit ab ea esse. Ergo neque illud dare est causalitas.

Tertiò. Omnes causæ per modos & rationes causandi tanquam per propriosactus inter se differunt, & omninò sunt impermixtæ. Sed dare esse efficienti conuenit. Ergo non formæ. Minor patet, nam ignis generans ignem dat illi actu existere qui prius erat in potentia, alioquin nihil agens ageret, vt facilimè ostendi potest.

Forma duplex.

Respondeo, Quod forma substantialis quam hic & vbique appellat Philosophus *speciem*, duplex est, altera enim est forma partis quæ actuat materiam, & alia forma totius, quæ se habet vt perfectio & actus suppositi, quemadmodum humanitas respectu hominis, & si quæ sunt aliæ naturæ, prout in abstracto concipiuntur & significantur: nam sicut albedo habet se accidentaliter ad parietem, ita humanitas essentialiter ad hominem. prima dicitur *forma physica*, secunda *metaphysica*, vtpote ingenerabilis & incorruptibilis communiter sumpta. De priori igitur loquendo, tenendum est in via Angelici Præceptoris, quod eius causalitas non est esse *terminum quo* generationis, per quem id quod fit, vltimatè habeat esse, quia non terminat vt forma est, sed inquantum finis, cuius gratia fit aliquid, quemadmodum est mutationis principium

cipium vt efficiens; & licet ista tria in eandem rem coincidant, diuersa tamen illius est ratio, vt forma est, vt finis & efficiens. nam vt finis, generationem terminat; vt forma, dat esse; vt verò efficiens, principium est vnde fluit motus. Accipe exemplum in calore ignis, & anima leonis. Neque etiam hæc causalitas est constituere suppositum; quia ex vnione formę ad materiã prius nascitur compositio naturæ, & deinde suppositum, sicut ex anima & corpore humanitas, quę est hominis natura, & postea Petrus. Erit igitur dare esse formaliter actuando & informando materiam, & modus causalitatis coercere potẽtiam materialem, quæ cũ ex se sit indifferens & vaga non minus ad hanc quam illam formam per aduentum vnius veluti quibusdam cancellis circumscribitur & limitatur. Hoc tamen addo, quod si de formis corporum cœlestium velis disserere, iam ibi aliud est iudicium. neque enim informant materias hoc modo, quasi coercendo potentiam, sed à principio creationis sunt destinatæ adhanc vel illam materiam inamissibiliter.

Materia à Forma circumscribitur.

Conclusio. Causalitas formæ consistit in hoc quod est dare esse. *Probatur.* Hoc solo posito, etiamsi omne aliud circumscribatur à forma, adhuc concipimus veram causalitatem. Ergo legitima est Conclusio. Antecedens patet in anima rationali separata à corpore, quæ nul-

nullius rei forma, licet permaneat existens, & de genere substantiæ. non enim dat esse in actu.

Ad primum igitur dicendum, Nego Consequentiam. nam in his quæ sunt simul tempore, esse prius natura idem est quod esse causam, non quod causa in illo priori existat seorsim ab effectu, sed quia componit aut mouet quodámodo, sicut albedo, cum informat dealbat, & facit reuera album; sed ipsa non est alba.

Ad secundum, Distinguo Consequentiam primam: Non est effectus formæ, quantum ad omnem rationem sibi conuenientem, *concedo*; quantum ad aliquam, *nego*. Tota siquidem perfectio quam habet compositum non prouenit à sola forma, sed aliquo modo à materia & reliquis causis, quæ in suo ordine dant esse. Et licet sit composito simplicior, multis tamen modis ab illius perfectione deficit, *vt in primo libro dictum est*.

Ad tertium, Distinguo Minorem. Dare esse efficienti conuenit, tanquam principio extrinseco, *concedo*; intrinseco, *nego*. forma enim dando seipsam alicui, dat esse suum; sed efficiens aliud à se distinctum. Vnde Petrus quod homo sit, à generante Francisco habet, & ab anima, sicut album ab albedine dicitur, et ab eo qui dealbat, sed diuersimodè, vt patet.

AR-

ARTICVLVS III.

Vtrum actio sit causalitas efficientis.

VIDETVR quod sic. *Primò.* Causalitas alicuius causæ in eo debet cõsistere à quo causa denominatur actu. Sed efficiens dicitur actu causa ab actione. Ergo actio erit causalitas eius. *Minor* patet, nam agens & efficiens eandem rem significant. imanifestũ est autem, quodlibet agens ab actione denominari.

Secundo. Si causalitas agentis physici esset aliud ab actione, interrogo, vel est actione prius & medium quid inter agens & eandem actionem, vel posterius ipsa, & medium inter effectum & actionem Neutrum potest sustineri. Ergo *Minor.* Non prius actione, quia neque est Entitas agentis, nec virtus aut potentia agendi vt patet: non posterius, quia ab ea non posset denominari primò agens actu. *Causalitas efficientis.*

Tertiò. Ex mente Angelici Doctoris *in libr. 5. Metaph. tex* 2. habentur hæc verba: *Efficiens est causa in quantum agit.* Tunc subsumo sed agit per actionem. Ergo per eam est actu causa, proindeque erit causalitas.

Respondeo, Quod causa Efficiens est principium vnde primò incipit motus, accidentia verò sunt quædam instrumenta illius, vt calor, in igne calefaciente tabulam. Eius causalitas non est actio, cùm sit posterius quid ex sua natura, licet necessariò requiratur ad causandum

in hoc genere. si enim Efficiens causat in fieri, præsens actio requiritur, & si in facto esse præterita: sed efficere rem, siue secundum totam substantiam, vt patet in creatione Vniuersi, siue secundũ partem, vt in agente naturali, quod materiam supponit velut Ens improducibile ab agente creato. Nec tamen efficere idem est quod actio, imò differũt quoad modũ significãdi. nam actio formã significat & motum quo agẽs agit, agere verò est habere actionem, & efficere efficientiam: deinde efficere est quid communius actione, & nonnunquã potest esse absque illa, vt est manifestum in effectibus qui per simplicem effluxum & emanationem deriuantur à causis, quemadmodum lux à sole, & risibilitas ab homine. Est igitur efficere idem quod dare esse alicui efficiẽdo, & hoc verificatur de omni agente, vt per inductionem ostendi potest.

Efficere quid.

Conclusio. Causalitas efficientis non consistit formaliter in actione, sed in hoc quod est efficere, & dare esse effectiuè rei. *Probatur.* Omne illud quod constituit causam in actu, est eius causalitas. Sed actio dependet à causa cõstituta in actu, & non ipsam constituit. Ergo. Minor patet, quia actio nihil aliud est, quam effectus prout fit, siue vt vulgo loquuntur, in fieri. Sed iam satisfaciamus argumentis Antonij Ruuio, ætatis nostræ magni Philosophi, qui in priorem abierat sententiam cum alijs.

Ad primum igitur dicendum, Nego Maiorẽ, aliquan-

quando enim effectus denominatur à causa, vt res volita à voluntate, sicut dicēdo, *Hoc est meæ voluntas*, sensus verborum est, *Ista res est quam ego volo:* & interdum causa ab effectu, vt arbor florida à floribus, & agens ab actione.

Ad secundum, Nego Minorem, quia efficere est prius actione, non tanquam virtus agentis aut entitas, sed vsus virtutis, prout idem significat, quod habere efficientiam, vt dictum est.

Ad tertium. Dico, quod efficiens est causa in quantum agit, prout agere est rem efficere, siue per actionem mediam, siue per simplicem emanationem.

ARTICVLVS IV.

Vtrum accidens possit producere substantiam.

Accidens an causa substātiæ.

VIDETVR quod non. *Primò.* Minus est fieri substātiam quam facere ipsam, quod enim fit, habet naturam, & faciens vltra hoc vim faciendi habet, & hoc certè maius est. Sed accidēs per Dei virtutem non potest fieri substātia, cùm sit manifesta contradictio esse per se & in alio. Ergo nec eam potest facere.

Secundo. Omne Ens perfectum ex sua natura non potest ab alio minus perfecto produci, quia nihil agit vltra suam virtutem, quæ semper ad esse rei consequitur, vt videre est in equo & homine. Sed in genere Entis substantia est perfectissima. Ergo nequit ab vllo accidente produci.

Tertiò. Omnis causa aut est æquiuoca, aut vniuoca. Sed accidens neutro modo potest pertingere ad productionem substantiæ. Ergo. *Minor:* quia causa æquiuoca nobilior est essentialiter suo effectu, nec eum sibi assimilat in specie immediata, sed in genere aut Ente, vniuoca verò eiusdem perfectionis est, quæ à forma desumitur.

Physicum duplex.

Respondeo, Quod accidens Physicum duplex est. Aut enim est concretum ad aliquam materiam & subiectum, vt calor in igne; aut separatum à subiecto, sicut caliditas. Et quidem de accidentibus secundo modo consideratis non quærimus, quia manifestum est, illa non posse quippiã producere naturaliter, ita vt nec substantiam nec accidens. Vnumquodque enim operatur prout est in actu; & esse accidentis desumitur à subiecto. vbi ergo nullum est subiectum, nulla quoque erit existentia accidentis, aut operatio. Nec mihi objicias calorem aut frigus Sacramenti altaris, quæ duæ qualitates eundem omnino gradum naturaliter producunt in manu Sacerdotis, quem produceret panis si illic adesset, & hoc nemo potest negare. quamuis enim huiusmodi accidentia sint separata à subiecto de genere substantiç, non tamen à quantitate, quæ se habet tanquam virtus & semen derelictum à pane, vnde etiam extensus est ille calor hostiæ. De solis igitur accidentibus primi ordinis est sermo, quæ duobus modis sumuntur, aut in virtute propria,

sine

sine vllo concursu & auxilio substantiæ; aut in virtute aliena, hoc est subiecti, & iuxta hũc modum potest accidens attingere productionem substantiæ, tanquam instrumentum, vt patet in calore animalis. ille siquidem calefacit, exsiccat, & attenuat animal, ex propria virtute, etiamsi nõ iuuetur ab aliquo extrinseco, sed generat carnes & quãtitatem in neruis & ossibus extendit, non ex se, sed quatenus est instrumẽtum animæ residentis in corpore, in quo etiam sensu accidens agere in virtute substantiæ nihil aliud est, quàm esse illius virtutem. si namque huiusmodi ignis daretur in quo calor non esset, tunc sicut non posset calefacere, ita neque alterum ignem generare.

Conclusio Forma accidentalis virtute subiecti in quo est, potest attingere productionem substantiæ. *Probatur*, ab experientijs manifestis. Radij solares in speculo concauo reflexi producunt formam ignis, ferrum candens in quo non est formaliter ignis, stuppam applicatam comburit & inflammat, vermiculi etiam ex putrefactione generantur, & animalia quæ ob febrim vehementẽ moriuntur, cadaueris formam sibi acquirunt, ferra quoque lignum discindit per suam formam, & virtus seminis producit animam sensitiuam bouis, & vegetatiuam arboris, cùm ipsum semen sit corpus viuens in potentia, & tamen illa est accidens. Ex quo sic argumentor: Huiusmodi accidentia non alio fine agunt nisi vt formã substan-

Forma accidentalis an substãtiam producat.

stantialem inducant in materiam. Ergo sunt instrumenta non solùm alterandi subiectum, sed vltra hoc formam substantialẽ generandi.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Consequentiam. Non potest eam facere, virtute propria, *concedo*; aliena, *nego*. natura enim ordinauit substãtiam ad producendum aliã substantiam similem in specie, tanquam primũ & remotum principium, non verò tanquã proximum & immediatũ, sed ad hoc præstãdum accidentia & qualitates contulit.

Ad secũdum, Distinguo similiter Maiorẽ Res nãque ignobilior, tanquã causa principalis non potest nobiliorẽ producere, quia ageret vltra sphærã suæ speciei, & omne agẽs simile dũtaxat producere intẽdit; sed tanquã instrumentũ & virtus alterius causæ, potest, vt dictum est.

Ad tertium, Nego Minorem. Nã accidens est quid analogũ respectu substãtiæ quã producit, in ratione Entis & rei, tamen in ratione causę instrumentalis est vniuocum, quia conceditur substantiæ ad talem finem, & est aliquid eius. Sed occasione quorundam hic dubiorum, sit

ARTICVLVS V.

Vtrum causa instrumentalis habeat aliquam actionem propriam circa effectum principalis agentis.

VIDETVR quod non. *Primò*. Si instrumẽtũ haberet actionẽ propriam circa effectum principalis agentis, iam non esset instrumentum sed principale agens. Sed hoc inuoluit terminorũ repugnãtiam. Ergo & primum

ex

ex quo sequitur. Sequela patet, quia habere actionē propriam circa effectum, nonnisi agenti principali conuenit, quemadmodum ædificare & scribere non securi aut calamo attribuuntur, sed homini. *De Causa Instrumētali.*

Secundò. Potest Deus vti intellectione mea tanquā instrumento ad aliqua miracula faciēda, vtpote ad resuscitandum mortuū, vel cæcum illuminandū. Sed huiusmodi instrumentū nullam habet actionem propriam circa effectum. Ergo impertinēs est ista actio. *Minor,* quę enim est proportio Dei intellectus & intellectionis ad mortuum, vt in eo quippiam agere possit, cùm sit potentia spiritualis, & auulsa ab omni materia?

Tertiò. Sacramenta sunt causæ instrumentales ad producendum: gratiam in anima, & ignis inferni ad cruciandum spiritus, in sacris etiā litteris inuenitur, quod ad tactum ossium Elisæi Prophetæ quidam mortuus in sepulchro delitescens repente surrexerit. Sed nullum ex his potest habere actionē propriam circa effectum principalis agentis, quia nec Sacramenta vi sua attingunt gratiam, nec ignis inferni spiritum, & sic de alijs. Ergo.

Respondeo. Quod de causalitate instrumēti neq; inter antiquos Philosophos, neq; inter posteriores Theologos satis videtur cōstare. nōnullis .n. displicet propria ipsius operatio, & alij admittētes eā, nō necessariò, inquiūt, cōcurrere ad productionem effectus. Sed obseruandū

Instrumẽta triplicia.

est tria esse instrumentorum genera. Quædam enim dicuntur *supernaturalia*, quę ab ipso Deo eleuantur ad aliquid faciendum quod totius naturæ facultatem superat, vti est resuscitatio defuncti ad tactum baculi. Quædam *naturalia*, quibus vtuntur causæ naturales ad producendum sibi simile, vt in præcedenti Articulo ostensum est, iuxta quem modum corpora cœlestia medijs qualitatibus quas à se demittunt, procreant in hoc mundo sublunari imperfecta animalia ex putredine, vt ranas ac mures, aliasque huius generis bestiolas. Et tandem *Artificialia*, quibus vtuntur artifices ad producendum aliquem effectum præconceptum in mẽte, & talis est securis respectu ædificij. Quodlibet autem istorum duas habere debet conditiones, ex quibus sortitur rationem instrumẽti, & causalitatem, vna est, agere aliquid superans suam facultatem & naturam, hoc autem ideò quia instrumentum concurrit simul cum agente principali ad effectum agentis. Secunda conditio est, habere actionem propriam quæ sit præuia & disponens ad actionem principalis agentis, ita planè vt per eam modificetur actio principalior. nam agens ex se indifferentem actionem elicit, quæ determinatur in genere causæ materialis ad certum effectum per actionem præuiam solius instrumenti. quod si nulla esset virtus actiua in instrumento, frustra assumeretur ad agendum hunc vel illum effectum. Accipe exemplum in calore animalis,

lis, qui nedum calefacit, verumetiam calefaciendo generat carnes, sicut serra nedùm scindit lignum in partes, sed scindendo efficit aream. ex propria enim natura calor habet vim calefaciendi, sed vim generandi carnes & nutriendi animal, ab anima, per quam eleuatur. Quod si percontaris, an actio hæc propria instrumento, distinguatur realiter ab actione principalis agentis, ita vt sint duæ necne? tunc respondeo, quod non est necessariũ vt distinguantur abinuicẽ in quolibet instrumento, sed vna est ab agente per instrumentũ procedens, quæ si cõsideretur prout est ex virtute propria solius instrumẽti, præcedit seipsã inquantũ est ex virtute principalis agentis, & facit aliquid præuium ordine naturæ in effectu. Volo dicere, quod omne illud quod in effectu inuenitur ex causa instrumentali, præuenit hoc quod est à Causa principali ordine executionis & naturæ, sed non ordine intentionis. primò enim intenditur effectus prout est ex virtute agentis, & ita illud quod erat primum in executione ex instrumento proueniens, est vltimum in intentione agentis. Prius enim artifex intendit domum mediante securi producere, quam ligna scindere, & nihilominus in executione prius scindit quam ædificet.

Actio agentis & instrumentalis an vna.

Conclusio. Quodlibet instrumentum habet aliquam actionem præuiam circa effectum principalis agentis. *Probatur.* Ad diuersos effectus producendos vtitur ars & natura diuer-

sis instrumentis, sicut ad videndum oculo & non aure, ad scribendum calamo non ligno. Sed si instrumenta non haberent peculiarem actionem, non magis vnum quam alterum assumeretur. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego sequelam Maioris, quia non solùm principali agenti cõuenit operari ex virtute propria, vt deductum est; illa tamen operatio vtriusque est vna naturaliter, sed secundum rationem multiplex.

Ad secundum. Nego Minorem. si enim Deus eleuaret intellectionem pro instrumento, tũc illa nõ attingeret effectum contactu physico, alterando ipsum, sed haberet actionem præuiã in qua modificaretur actio ipsius Dei.

Ad Tertium. Nego Minorem. in instrumentis enim diuinę virtutis sufficit præexistere huiusmodi actionem, in qua modificetur operatio Dei; & hoc in Sacramentis nouæ legis manifestè apparet, quæ non solum reponuntur in genere signi verum etiam & causæ. illud enim efficiunt quod significant, sicut aqua abluendo corpus in Baptismo ex propria actione, causat gratiam virtute Dei à quo eleuatur, Ignis etiã inferni ex sua natura non habet quod spiritum incorporeum loco definitum detineat, inquãtum verõ est instrumentũ diuinæ iustitiæ vindicantis, sic detinet spiritum, & ita efficitur ei pœnalis, vt eum retardet ab executione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari vbi vult, & secundum quod vult. Scio aliam respon-

ſponſionem pro hac obiectione, ſed iſta eſt Doctoris Angelici *in ſupplemento tertiæ partis, Q. 101. art 3.* Oſſa autem Eliſæi per contactum qui ſine motu fieri non poteſt, fuerunt inſtrumentalem rationem ſortita.

ARTICVLVS VI.

Vtrum mouere metaphoricè ſit cauſalitas finis.

VIDETVR quod non. *Primò.* Cauſa efficiens illa dicitur, vnde eſt principium motus. Sed finis nullã habet efficientiam. Ergo mouere non eſt ipſius cauſalitas.

Secundò. Mouere præſupponit eſſe, quod enim nondum exiſtit, nihil mouet. Sed pleriq; fines inueniuntur, qui dum cauſant non habent eſſe. Ergo motio non eſt cauſalitas. Minor patet in multis exemplariter, nam domus eſt cauſa finalis ob quam ædificator ædificat, & tamen non habet eſſe tunc quãdo cauſat ſui deſiderium, nec ſanitas in infirmo eſt, cum medicina ſumitur. *Motio an Cauſalitas finis.*

Tertiò. Omnis cauſalitas conuenit cauſę per ordinem ad effectum. Sed efficiens non eſt effectus finis. Ergo mouere non illi conuenit reſpectu efficientis. Minor. nam quod ordinatur ad finem eſt effectus finis. Effectus autem magis aliquid ordinat, vtpote media pro illius conſecutione.

Reſpondeo, Quod, ſicut ait Philoſophus, Finis dicitur id cuius gratia aliquid fit, ſicut ſanitas eſt cauſa ambulationis. Sed quoniam occulta eſt ratio iſtius cauſæ, propterea quoq; finis eſt

quid

quid vltimum in operatione, cùm tamen causa debeat effectum præcedere, idcircò notandum est, quod motio est duplex, *propria* & *Metaphorica*. Illa dicitur motio in rigore, quæ fit cum vera actione alicuius causæ, quemadmodum quando ignis calefacit tabulam, mouet ipsam realiter, alterando de non esse calido ad esse calidum. & hæc non est ad propositum, quia pertinet ad genus causæ efficientis, vt superius explicatum est. Cæterùm *metaphorica* est illa, per quam obiectum mouet voluntatem ad sui amorem, præsentando seipsum sub ratione boni, iuxta quem sensum vulgò dici solet, quod magis anima ibi est vbi amat, quàm vbi animat, quia ad rem amatam rapitur quodam affectu & impulsu. Et verè sic est philosophandum de fine, cuius causalitas respectu agentis est mouere metaphorice, & quasi trahere post se illius affectum, sed respectu mediorum quà ordinantur ad finem, est conferre illis bonitatem quandam & appetibilitatem vt possint eligi & concupisci, quod non haberent absque tali ordine, vt apparet in potione amara respectu sanitatis consequendæ, & vigilijs respectu litterarum, sicque deinceps. Sed hic non parua se offert difficultas. cùm enim res ipsa dicta *Finis* habeat duplex esse, vnum à parte rei & extra intellectum, alterum in apprehensione actuali intellectus, per quam concipitur vt bonũ & appetibile, rogabit aliquis, nunquid mouet voluntatem per modũ causæ im-

Finis esse duplex.

impellentis secundum quod est in re, an secũdum quod in intentione agentis? Huic replicæ occurro in hunc modum, quod sicut in causa efficienti est duo considerare, videlicet ipsam causalitatem, & cõditionem sine qua non, vt in igne ratio calefaciendi est calor, & applicatio agentis ad passum conditio: ita in præsenti, esse reale finis quod habet postquã fuerit adeptus, est ratio finalisandi voluntatem & mouendi, quia agens nõ operatur propter assecutionem finis apprehensi vt apprehensus est, sed in quãtũ est possibilis, esse tamen in intentione est conditio requisita ad finalisandum. per cognitionem enim mouetur agens à fine, quia ignoti nulla cupido.

Conclusio. Mouere voluntatem metaphoricè est causalitas finis respectu agentis. *Probatur.* Finis est illud cuius gratia aliquid fit, vt Arist. *in text.* 31. profitetur. Sed hoc est mouere metaphoricè. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorẽ. Nullam habet efficiẽtiam, propriè dictam quæ fit cum motu. *Concedo*; trãslatitiè qua excitatur & quodammodo trahitur voluntas ad ipsius consecutionem, *nego.*

Ad secundum. Nego Minorem, quia saltim in apprehẽsione intellectus debet finis existere, vt actu moueat, & habet hoc singulare istud genus causæ, teste subtilissimo Caietano, vt causalitatem suam possit exercere actu, habens esse tantùm in anima: vnde etiam multi

appe-

appetunt volare cum auibus, non peccare cum Angelis.

Ad tertium, Distinguo Minorem. Efficiens non est effectus finis, secundū se, *Concedo*; prout efficiens est, & secundum actionem propriam, *nego*; non enim agens ordinatur ad finem absolutè, sed actio agentis.

ARTICVLVS VII.

Vtrum animalia bruta agant propter finem cognitum sub ratione finis.

Bruta quales edocta.

VIDETVR quod sic. *Primò*. Dantur inter animalia quædam actiones stupendæ, nō ex instinctu naturæ, sed à proposito cuiusdam intellectus & rationis, quam manifestè videntur participare. Ergo agunt propter finem vt finis est. *Antecedēs* ex eo colligitur, quod multis hominibus artes indicārunt animalia, vt araneus artē texendi, hirundo ædificandi, grues exercitū instruendi, milui nauem gubernandi; formica curam in futurum prospiciendi, & vt cætera omittamus admiratione digna, nō potest negari quin sæpius exhibeant specimē cuiusdam ingenij. psittacus enim edoctus, humanam vocem reddit, vrsus varias in gestu figuras effingit, genuflectit, pedem astantibus porrigit, atque alia ludicra addiscit, vt in his Poloniæ partibus experimur sæpissimè.

Secundò. Illud agens quod cognoscit ordinē

mc-

mediorum ad finem, operatur illius gratia vt finis est. Sed animalia bruta sunt huiusmodi. Ergo. Minor ab experiẽtia suadetur, nam ouis requirit herbam conuenientem suę naturæ, & respuit nociuam, quod reuera non esset, nisi attingeret proportionem mediorum. Huius occasione argumenti, sequitur aliud in hunc modum.

Tertiò. Quæ agunt per electionem, cognoscunt finem formalissimè, vt omnes admittunt. Sed bestiolæ agunt per electionẽ. demus enim alicui equo duas mensuras hordei eiusdem qualitatis, vnam ex illis eliget, imò & canis feram persequens, cum ad triuium peruenerit, conijciens duabus vijs non transijsse ferã, mox arripit tertiam, quasi ita secum disputaret, Aut in hanc partem fera deflexit, aut in alteram, & sic procedendo in vlteriori discursu. Ergo vt prius.

Respondeo, Quod in fine cuiuslibet actionis physicæ, duo considerari possunt, videlicet ratio Entis seu naturæ, & ratio finis vt finis est formaliter, quę extrema ita comparãtur adinuicem, quòd potest aliquod agens cognoscere finem sub ratione Entis, & tamen illum actum per quem constituitur in ratione finis non attingere, hoc est, ordinem mediorum & dispositionem congruam. propter hanc enim causam illa res appellatur finis. Discurendo igitur per singula agentia, manifestum est, quod Deus gloriosus in actionibus ad

intra

intra agat propter finem aliquem, sublatis tamen imperfectionibus si quæ à nostro intellectu concipi possunt, quemadmodum in æterna filij generatione videmus, in qua voluit Pater suam communicare naturam, sicut spirando Spiritum S. vnà cum filio: proindeq; communicatio naturæ dici potest finis generandi ac spirandi, si ita expedit more humano loqui. In actionibus verò ad extra, non est finis Dei operantis, sed operis, quæ multum discrepãt, (vt in domo, finis operis est defendere homines ab iniurijs cœlorum, & operantis lucrum, aut manifestatio ingenij, finis ergo operis est in opere exteriori, & finis operantis in operãte,) quia enim Deus nonnullos effectus ordinat in alios tanquam in finem, vt motum cœlestem ad conseruandas species rerum corruptibilium, idcirco propter finem operis dicendus est agere. De Creaturis autem quæ vtuntur ratione, vt homo, aliud est iudicium. ipsæ enim agunt propter finem sub ratione finis, ordinando media ad illius assecutionẽ, vt patet in auaro. Cæterum ea in quibus non splendet aliquis radius intellectiuæ cognitionis, feruntur impetu naturali ad suos fines cognitos sub ratione Entis & rei, vt vespa & hirundo. Inanimata autem à principio externo cognoscente finem diriguntur, quemaddum sagitta in scopum, Intelligẽtia siquidem huiusmodi fines nouit, & ad eos assequendos omnia quæ ratione carent excitat & impellit, sicque

Dei actiones.

ſicque potius dicuntur agi quam agere: quia opus naturæ eſt opus Intelligentiæ non errantis. Accipe exemplum in lapide, quando mouetur deorſum, vel in igne calefaciente tabulam.

Concluſio. Animalia bruta non agunt propter finem ſub ratione finis. *Probatur.* Quæ agunt propter finem, formaliſsimè, habent dominium ſuorum actuum, ſeſeque in eum diriguntꝫ Sed bruta non ſunt huiuſmodi, quia impetu quodam à ſuprema Intelligentia diriguntur. Ergo. *Bruta an agant propter finem*

Ad primum igitur dicendum, Nego Antecedens, nam quod bruta eleganter ſua opera elaborent, non ex vſu rationis prouenit, ſed ex inſtinctu naturæ, qui eſt quædam imitatio noſtri intellectus, alioquin idem argumentum eſſet de arboribus, quæ ita ramos fructibus onuſtos explicant, vt nihil ad pulchritudinem gratius aſpectui occurrat. Videas hic *Patres Conimbricenſes*, ſi placet.

Ad ſecundum, Nego Minorem. & licet quis herbam ſibi conuenientem eligat, altera reiecta, non tamen inde fit, vt proportionem mediorum cognoſcat, quia ex impetu naturę hoc totum agit.

Ad tertium, Nego ſimiliter Minorem, propter rationem iam poſitam. *Hactenus de cauſis per ſe, & earum conditionibus diſputatum eſt.*

QVAESTIO XI.

De causis per accidens.

ARTICVLVS I.

Vtrum Fortuna sit causa determinata.

VIDETVR quod sic. *Primò* Illæ causæ quibus positis sequitur effectus necessariò, sunt determinatæ, vt apparet in igne respectu calefactionis. Sed posito concursu Fortunæ ad effectum, necessariò sequitur. Ergo non est causa incerta, neque per accidens. Minor est euidens, nam inuentio fortuita thesauri ex eo prouenit, quia fuit absconditus, & vltra hoc adhibetur fossio, his autem positis omninò inuenietur.

Secundo De Ente indeterminato & per accidens, nulla est scientia nec definitio, quæ medium est in Syllogismo Demõstratiuo. Sed de fortuna est scientia in hoc libro. Ergo non est causa indeterminata.

Tertio Illa quæ agunt in proposito per intellectum, sunt causæ determinatæ, vt in præcedentibus ostensum est. Sed Fortuna in opinione Philosophi, in ijs dun taxat quæ vtuntur intellectu est, & nonnisi electione se mouent in finem. Ergo vt prius. Minor desumitur ex contextu ipsius literæ, vt patet.

Respõdeo, Quod *Fortuna est causa per accidens in ijs quæ secundũ propositũ fiũt propter finem, & rarò contingunt*. Hanc definitionem vt rectius intel-

Fortunæ definitio.

li-

ligas, obseruãdę tibi sunt quædã particulæ. Prima est, *causa per accidens*, & ponitur loco generis, quia etiam conuenit Casui. Secunda verò, *in ijs quæ secundum propositum finis operãtur*, loco differentię: quia *Casus* habet locum in ijs quæ nõ agunt per intellectũ, vnde solemus dicere, quod *vbi plus est de intellectu, minus de fortuna*. qui enim plura in futurũ pręuidet, ei pauciora eueniũt, sicut in bello quo magis dux est prudentior, tantò plura facit ex intentione, & cõsequenter pauciora illi fortuito eueniũt. Insuperadditur, *rarò contingũt*, vt per hoc distinguamus fortunã à causis naturalibus. nam quę à natura fieri solent, eodẽ modo semper eueniunt, nisi ab extrinseco impediantur, vt ortus occasusque solis, hominem cum decem digitis vtriusq; manus nasci, solem in cancro feruere, in capricorno tepescere, & huiusmodi. Exemplum autem quo Aristoteles voluit definitionẽ declarare illud est; si quis in forũ proficiscatur causa emendi quippiam, & interim à suo debitore pecuniã, quam se accepturũ nõ sperauerat, accipiat, *fortè* hoc dicitur ei cõtigisse, & causa huius euentus est progressio illa in forũ, quæ si nõ esset, pecuniam non recepisset, atque hęc fortuna dicitur, quia vt pecuniam reciperet causa fuit, sed quia raro fit, vt progrediens in forum pecuniam accipiat, per accidens causa dicitur. Vnde non distinguitur fortuna numero à causa per se agente, sed est ipsum agens liberum vel naturale non quatenus

producit effectum per se, sed per accidens. Volo dicere, quod nomen Fortunæ significat causam effectus per se intenti, cui adiungitur aliquid nõ intentum. *Casus* verò ita definitur; *Est causa per accidens in his quæ circa electionem operantur propter finẽ*, & est per se manifesta ex dictis. Quid autem inter fortunam & Casum intersit patet. casus enim habet se instar generis ad fortunam, & inuenitur non solum in hominibus & brutis, verumetiam in non viuentibus, vt si tripus decidens ex eminenti loco in terram, ita disponatur, vt præbeat subsellium & fiat apta sessioni, non fortuna sed casu fieri dicimus. impropriè tamen dicuntur bruta felicia & fortunata, vt equus regis, & iuxta vulgi opinionẽ lapides ex quibus aræ construuntur, respectu eorum qui sunt in pauimento, quippe cum aræ honorentur, pauimentum autem conculcetur: idemque est acsi dicas, fortunatum esse lignum ex quo fit imago Christi cœnantis; infortunatum ex quo Iudæ. Vnde colligitur quam turpiter errauerint antiquiores Ethnici, qui eam vim fortunæ putarunt inesse, tam longè lateque illius principatum in hoc mundo sublunari extensum, vt omnia illius legibus parere, ad illius nutum cuncta moueri, tam prospera quam aduersa ab ea prouenire putarint, cui etiam tanquam Deæ templa, aras, & simulachra erexerunt. Nec minus & illi decipiuntur, qui respectu Dei multa casu & fortuitò rebus physicis

Casus quid;

Antiquorũ opinio de Fortuna.

cis euenire contendunt, quam rem elegantissimè & copiosissimè tractauit Cicero *in lib. 2. de natura Deorum*, ideoque omnes naturalium operum admiratores, vt locum illum non oscitanter legant præmoneo.

Conclusio. Fortuna est causa per accidens & indeterminata. *Probatur.* Attingit effectum quem non intendebat, vt fodiens sepulchrum, est causa inuentionis thesauri. Ergo est indeterminata.

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorem, quia inuentio thesauri non habet certam & definitam causam, potestque contingere ex eo quia aliquis seminat, vel pauimentum sternit, aut deducit puteum, & his similibus.

Ad secundum, Nego Consequent. quamuis enim fortuna sit causa per accidens, nihilominus per se illi conuenit esse causam per accidens, sicut albedini esse in alio, ac proinde potest de illa esse scientia per Propositiones *per se*, qualis est illa in qua definitio fortunæ prædicatur de fortuna.

Ad tertium, Distinguo Maiorem: sunt causæ determinatæ, respectu effectus per se intenti, *Concedo*; respectu eius qui fortè adiungitur, *nego*, vt dictum vlt.

ARTCVLVS II.

Vtrum Fatum debeat poni in rebus.

VIDETVR quod non. *Primo.* Fatum iuxta communem sententiam, idē est quod ordo

causarum secundarũ prout exequuntur diuinã prouidentiã. Sed ordo est relatio, relatio autẽ nihil efficere potest in rebus. Ergo fatũ nihil est.

Secundò. Aut fatum significat causam, quæ cum intentione operatur, aut sine illa. Non primum, alioquin esset agẽs liberum quod per se operatur, nec secundum, quia coincideret cum ipso Casu, quod est contra Philosophos. Ergo non est ponendum in rebus.

Tertio. D. Gregorius in *Homil.* 10. *Epiphaniæ* sic ait; *Absit à fidelium cordibus, vt fatum aliquid esse dicant.* Ergo vt prius.

Occasio quid.

Respondeo, Quod scopus Articuli præsentis est ostẽdere naturã Occasionis & Fati, ex his enim facile proprietates reliquarũ causarũ inuestigare licebit. Sciendũ est igitur, quod *Occasio* est causa per accidẽs, quæ attingit positiuè nõ effectũ cuius est causa, sed dispositionẽ illius, sicut furor tyrannorũ est causa patientiæ martyrũ, causa, inquã, occasionalis, quia etsi non producat ipsam virtutẽ patientiæ, tamen interitum, verbera, & his similia, quæ pro illius cõsecutione disponunt efficit, nõ secus atq; calor Solis in æstate dicitur per accidẽs causare frigiditatẽ aquæ in puteo. hoc enim non fit directè, sed occasionaliter tantum, prout frigiditas fugiẽs Solis calorem, seipsam intendit. Cæterũ quod ad naturam Fati pertinet, reiectis antiquorum opinionibus, vt explicemus modum qui creditur fuisse Aristotelis, & quem fides Christiana confitetur, oportet inprimis illud distinguere. bifariam enim sumitur, quia vel est

Fatum secundum causam, vel secundum essentiam.

Secundùm causam & originem, est ipsa dispositio mentis diuinæ de his quæ in tempore fieri debent, omnia siquidem quæ nunc aguntur in Vniuerso, prius fuerunt ordinata in mente diuina, & eo modo eueniunt quo fuerunt dispositæ vt fierent, quam mentis dispositionem vocant Theologi *Prouidentiam*, & benè. Essentialiter autem, est ipsa connexio causarum secundarum prout diuinam prouidentiam exequuntur. sunt enim adeò connexæ & concatenatæ adinuicem, vt nulla res hanc seriè posit subterfugere, quemadmodum ad generationem vnius muscę concurrit aer calidus, Sol illuminans, cœlum cum suo motu, intelligentia, & Deus, qui per huiusmodi ordinem apud se statuit muscam producere. Vnde sequitur Fatum esse multiplex secundum essentiã, quia varię sunt connexiones causarum ad effectus producendos, & non multiplex secundum originem, quia diuini intellectus prouidentia vna est. Præterea sequitur, non omnia fato esse subiecta, quæ nimirum à causis secundis & earum connexione nullo modo dependent, & talis est iustificatio, creatio, glorificatio, sicque deinceps: generatio autẽ pluuiæ, grandinis, frugum & eorum desitio, sicut causis creatis, ita & fato subijciuntur. Quocumque tamen modo sumatur, non imponit rebus absolutam necessitatem, sed ijs duntaxat, quæ futuræ sunt necessariæ, quæ autẽ contingẽter, minimè, vt quia

Fati diuisio.

motus Solis futurus erat necessarius, adaptauit ei Deus intelligentiam quæ ipsum continuò rapiat in orbem.

An Fatum.

Conclusio. Impium est dogma, fideique repugnans, negare fatum in rebus. *Probatur,* Quidquid citra dispositionem agentis fit, temerè fit, & quidquid temerè fit, sine prouidentia fit. Sed nihil extra diuinæ prouidentiæ regulam accidit. Ergo vera fuit Conclusio, vt iacet.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Maiorem. Fatum est ordo, si sumatur formaliter, *concedo*; nec isto modo ad causam efficientem pertinet; materialiter & pro causis inter se ordinatis, *nego.*

Ad secundum, Nego Minorem, nam accipiendo fatum causaliter, ipse Deus est, agens prouidè ex intentione, vt diximus.

Ad tertium. Explico verba D. Gregorij, nam ibi loquitur de fato iuxta antiquorum sententiam, prout denotat certam constitutionem cœli, in qua quisque natus est, cogentem homines ad ea facienda ad quæ sidera ineuitabiliter inclinant. Stellæ enim factæ sunt propter hominem, non homo propter stellas. Sed vt prædicta melius intelligantur, sit

AR-

ARTICVLVS III.

Vtrum ex influxu cœlorum dependeant mores & ingenia hominum.

VIDETVR quod sic. *Primò* Ex varia hominum complexione, oriuntur ingenia diuersa. nam Cholerici naturaliter iracundi sunt, & apti ad literas, phlegmatici desidiosi, sanguinei ad beneuolentiam hominum conciliandam prompti & alacres; carne etiam molles, mente sunt aptiores. Tunc sub sumo: Sed corpora cœlestia causant complexionem in hominibus, Ergo ingenia & mores causabunt. *Mores & ingenia hominum vnde.*

Secundò Multoties videmus aliquos homines sic ad latrocinia & voluptates ex siderum constellatione instigatos, vt nulla ratione auerti possint. vnde est illud memorabile exẽplum de Aeschylo Poeta, cui dum ab Astrologo prædictum esset ex ruina domus esse periturum, propter quod in Siciliam egressus, quodam die in plano resedit, continuò aquila testudinem ferens, cum videret caput crinibus vacuum, existimans esse lapidem, demisit, sed eo ictu occidit hominem. Ergo.

Tertiò. Sacra Scriptura in Genesi refert, quod *ab initio posuerit Deus stellas in firmamento, vt essent in signa & tempora.* quem locum explicans Origenes, sic ait: *Depinxit Deus in stellis significationes omnium futurorum euentuum humanæ generationis, vt in eis virtutes superiores velut*

in libris legerent, quæcunque hominibus per singula temporum interualla citra tamen liberi arbitrij coactionem essent eventura. Ergo vt prius.

Respondeo, Quod tres sunt ordines effectuum ex corpore cœlesti prouenientium. Quidam enim necessariò eueniunt si eorum causæ ponãtur, sicut eclipsis lunæ, ortus & occasus solis, oppositio syderum, & huiusmodi, de quib. astrologi nonnunquam vera prænũciant, cognitis eorum causis, licet respectu Dei qui supra omnem necessitatem est velut eius factor, liberè fiãt, vnde fecit aliquando cursum solis quiescere, & notabiliter passionis tempore defectũ pati, omnibus astrologis prorsus incognitũ. Deinde sunt alij effectus, qui ex syderibus frequenter eueniunt, quemadmodũ siccitates & pluuiæ, in quibus cõtingit astrologos errare, quia ad eorum productionem concurrunt elementa & variæ corporũ dispositiones quas illi non considerãt: interdum etiam immittuntur à Deo pestilentiæ & bella, propter malitiam hominum. Vltimò sunt illi effectus, qui ex varia complexione & orbium constellatione insunt hominibus, alij namque iracundi nascuntur, alij tristes, & sic deinceps, quos effectus possunt astrologi per coniecturas dignoscere, sed ex illis electionẽ, mores, & ingenia prędicere, impiũ est, quia nõ obstante quocunque sydere, adhuc superest liberũ arbitriũ, per quod homo adiutus auxilio supernaturali, potest vincula syderum disrumpere & conuerti

Ordo effectuum ex corpore cœlesti.

uerti. hæc autem particularis causa difficilius inuestigatur, à qua tamen immediatè res dependet, ab vniuersali verò nonnihil per ipsam. Vnde si quispiam aspexisset cœlum in eo temporis puncto quando Petrus nascitur, & aspectus syderum benignè faueret, si tamen Franciscus generans ex conditione naturali defectum in aliquo patitur, nō erit necesse dare iudicium de moribus Petri ex stellis benignè fauentibus, quia ad illud quod promittunt, causa particularis non disponit; ille etiam qui duas simul arbores plantat, quarum vna sicca, & altera viridis est, si conspexerit cœlum aptum ad opus plantationis, licet vtramque plātauerit, non germinabit sicca, quia cœlum operatur iuxta materiæ dispositionem. Fictitiū ergo est dicere, quod Mars immittat irā, Luna insaniam, Capricornus vim quādam occultam, vt nascentes sub ea regali præfulgeant dignitate.

Conclusio. Non dependent hominum ingenia ex influxu corporum cœlestium. *Probatur.* Huiusmodi corpora non mouent voluntatem hominis quantum ad exercitium, cùm sint agentia per naturam, alioquin si hoc pacto illaberentur in eam, periret libertas & dominium actuum. Ergo non dependent ingenia ab ipsis.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem. Oriuntur ingenia diuersa necessariò, ita vt non possit quis facere contra id ad quod com-

complexio inclinat, *nego*; liberè, *concedo*: ac proinde potest quilibet resistere suæ complexioni.

Ad secundum, Nego Antecedens. non enim homines ex sideribus inclinantur ad furta, sed ex praua consuetudine, quæ postquam altas radices miserit, difficile extirpatur, & quodammodo in naturam transit. Quod autem astrologi prænuncient certò aliquos euentus, prudentia eorum in causa est, quæ de agendis benè disponit, & media excogitat congrua, quibus intentum consequamur finem: & interdum hoc faciunt occulto instinctu dæmonum, quorum auxilio falsæ opiniones de fatis & infortunijs firmantur in hominibus.

Ad tertium, Dico, quod auctoritas Origenis adducta sapit hæresim, sicut & alia dogmata, quæ passim in eius operibus reperiuntur.

ARTICVLVS IV.

Virum causæ naturales intendant monstra.

Monstra an Natura intendat.

VIDETVR quod sic. *Primò*. Dictum est supra, naturam agere vnumquodq; propter finem, nisi aliquid impediat. Sed monstrum est effectus causæ agentis per naturam. Ergo ab ea intenditur vt finis. *Minor*: si enim non esset effectus naturalis, excederet facultatem creaturarum, & nunquam ab ea posset produci.

Se-

Secundo. Quælibet causa producèns monstrum, determinatur ad illius productionem. nam si non esset vlla determinatio per virtutẽ actiuam, non esset productio, quia ab indeterminato nihil efficitur. Ergo illud intendit. Consequentia patet, quia naturam aliquid intendere, nihil aliud est, quam determinari ad illius productionem.

Tertio. Deus intendit monstra, vt omnes admittunt; sed non immediatè & per se absque concursu agentiũ secundorum, sicut nec sine homine producit hominem. Ergo & ipsæ causæ naturales intendunt.

Monstrũ quid.

Respondeo, Quod *Monstrũ* iuxta vulgatam definitionem, *est effectus naturalis à recta & soluta dispositione secundum speciem degenerans.* Dicitur, *effectus naturalis*, vt per hoc excludantur deformitates artefactorum, quia & ipsi artifices nonnunquam à fine suæ artis ob aliquod impedimentum deficiunt, iuxta quem modum appellatur tunica deformis, vel annulus, licet impropriè monstrum, & per analogiam ad effectus naturales vitiosè productos. Non tamen hoc sufficit, sed additur vlterius, *à recta dispositione degenerans*, quæ est velut differentia & ratio formalis monstri. nam tunc demum causatur esse, quando ille effectus deficit à perfectione naturali quam debuit habere secũdum leges consuetas à natura. vnde si in aliqua regione, propter nimiam terræ sterilitatem nascuntur homines paruæ staturæ, vtputa vnius

cubiti

cubiti, vel sicut olim in AEgypto vix ad perdicis magnitudinē quidam excreuit, homo bicubitus erit monstrū, quia præter solitā dispositionē terræ illius. Quod autem dicitur, *secundum speciem degenerans*, non est sensus, quasi effectus mōstruosus debeat esse alterius speciei & naturæ à sua causa. nam hoc licet aliquādo contingat, sicut Auicenna *in 5. lib. de animalib.* refert, gallinam dum ouis incubaret, milui aspectu perterritam, pullos exclusisse miluino capite, & Lublini in regno Poloniæ mulierem Hebræa anserem pro filio suppositum: tamen hoc non est de illius essentia, sed solùm quod sit alterius dispositionis, & ita aliud est deficere à naturali dispositione speciei, & aliud ab ipsa natura speciei, vt patet. Oriuntur autem mōstra vnde. vel propter exuperantiam materiæ, & tūc apparet effectus insolitam habens quantitatē, sicut fuerunt illi gigātes à sæculo; vel ob penuriam materiæ, vt sunt homunculi vnipedes, & coactę breuitatis; interdum ob permixtionem seminum, inclementiam syderum, temperaturam regionis, & si quæ sunt alia. Hoc tamen est certum, quod Deus intendit monstra fieri quatenus hoc vniuersum non solùm rerum pulcherrimarum ordine, verumetiam deformium varietate exornetur, & vt imperfecta ordinētur ad perfectiora, sicut cæcitas ad visū, & tenebræ ad lucē. Cæterùm si loquamur de agente particulari, tūc illud non per se primò intēdit monstrū, quia nemo inspiciēs ad malū

opera-

operatur tanquam propter finem, sed quasi secundariò, prout est aberratio quædã à fine. Est autem prima intentio cuiuslibet causæ naturalis, ipse instinctus & propensio, quam habet in omni actione, quotiescunq; agit, vt producat effectũ ità perfectũ sicut debet producere, iuxta quem sensum homo generat hominem: sed intentio siue inclinatio secũda respectu illius est, quo posito frustratur agens fine principali, eoque fine ponitur, ne saltim actio fieret frustra, quemadmodũ masculus intendẽs masculum producere, ob aliquod impedimẽtum producit illud quod potest, scilicet fœminam, quæ est animal occasionatum.

Conclusio. Causæ naturales non intendunt in suis actionibus producere monstra, quæ sunt peccata naturę non potentis ad proprium finẽ pertingere. *Probatur.* Causa naturalis si per se spectetur, intendit producere effectũ sibi similem sine errore ac vitio, sed monstrum est aliquid dissimile & degenerans. Ergo. *Monstra peccata Naturæ.*

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem. Est effectus causæ agentis; vt finis cuius gratia fit aliquid principaliter, *nego*; vt aberratio à fine, *Concedo*; & consequenter est contra intentionem secundam naturæ, vt explicatum est.

Ad secundum, Distinguo Antecedens, Determinatur ad illius productionem, determinatione primaria, *nego*; secundaria, *Concedo*; ne saltim actio fieret frustra.

Ad

Ad tertium. Nego Consequentiam: NIhil enim prohibet esse aliquid intentum à Deo, qui est prima & vniuersalis omnium causa, & non ab agente creato, quandoquidem ille etiam causis debilibus tribuit concursum eorũ debilitati proportionatum, quæ possent effectus producere secundum perfectionem debitam, si non essent impedibiles ab aliquo extrinseco. Sed quoniam hæc responsio, vt vides, trahit nos in aliam difficultatem pro hoc seculo celeberrimam, de concursu videlicet primæ causæ cum agentibus physicis, idcirco vt aliquam huius veritatis similitudinem habeas, decreui nonnullos Articulos è fontibus Thomisticæ doctrinæ haustos, tenui, vt dicitur, calamo propinare. Sit ergo

QVAESTIO XII.

De Concursu Dei ad actus naturales, liberos & contingentes.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus concurrat actualiter cum causis secundis ad quamlibet earum operationem.

Causarũ secundarũ operatio,

VIDETVR quod nõ. *Primò.* Causę secundæ possunt: ex propriis viribus illũ effectum producere qui non excedit earum perfectio-

fectionem, absque concursu agentis extrinseci. Sed multi sunt effectus huiusmodi, qui adæquantur Causis secundis. Ergo Deus non cõcurrit ad quamlibet earum operationem. Minor patet in rosa generante aliam rosam, & in oculo percipiente colorem.

Secundò. Causa prima operatur mediantibus causis secundis. Ergo non respectu omnium requiritur eius concursus. Patet Consequentia ex eo, quia repugnant hæc duo extrema, agere singula per causam secundam, & actionem ipsius causæ immediatè attingere,

Tertio. Quælibet causa naturalis est sufficienter determinata ad agendum per suam formam, sicut ignis ad calefaciendum. Ergo non indiget determinari ab alio.

Respondeo, Quod hactenus particulas in textu Philosophi positas breuiter, & cum quâta potui perspicuitate exposui; nunc tandem quopacto Deus concurrat cum agentibus creatis, illorumq; actiones præfiniat & prædeterminet, an verò illa seipsa determinent, & insuper quo modo cum infallibilitate euentus possit stare contingentia & libertas causarum, explicandum est. Considera igitur, quòd aliqua res tribus modis dicitur causa alicuius actionis: primò quia tribuit virtutem operandi, quemadmodum generans dicitur mouere grauia deorsum, ex hoc præcisè, quia à generante habent grauitatem ratione cuius mouentur. Deinde quia prædictam virtutem conseruat,

Quomodo cum infallibilitate euẽtus stet contingentia & libertas causarum

in quo sensu medicinæ dicũtur causæ visionis, quia conseruãt virtutem visiuam, & si quæ sunt alia huius generis. Postremò quando non solum virtutem confert, eamque conseruat, sed vltra hoc applicat ad agendum. Ita ergo sentiendũ est de Deo glorioso, qui agentibus physicis in prima rerũ conditione contulit virtutes actiuas, quibus annixæ verè & propriè dicuntur agere, & non solum eas conseruat, sed etiam applicat & mouet ad operandum simul cum ipsis agentibus, sicque fortiter pro se, suauiter pro creatura, attingit immediatè illius actiones & effectus, non quod singulæ sint solius Dei, nam hoc in Philosophia falsum, & in fide impium est, alioquin perirent merita bonorum & pręmia, sed quod dico est, ipsa agentia creata operari & quidem totum effectum in ordine secundorum agentium, & DEVM similiter totum in ordine vniuersalis & primæ causę, quæ à nullo dependet. Et ex hoc forsitan motiuo auctor libelli *de Causis Propositione prima* sic ait: *Causa prima plus influit in causatum causæ secundæ, quam ipsa causa secunda, nam etiamsi secunda nihil influeret, adhuc tamen remanet dependentia effectus à prima*. Et hanc sententiam omnes Theologi cum Angelico Præceptore incunctanter defendunt, & oppositum velut errorem in fide condemnant.

Conclusio. Concurrit Deus actualiter cum causis secundis ad quamlibet earum operationem. *Probatur.* Esse est effectus vniuersalissimus,

simus, qui de singulis rebus earumque attributis essentialibus dicitur. Ergo debet à causa vniuersalissima produci. Ergo cum nulla sit actio causæ secundæ quæ non habeat esse, nulla erit quæ non profluat à Deo.

Ad primum igitur dicendum, Nego Maiorem. quamuis enim producere effectum sibi simile non superet virtutem naturalem causæ secundæ, tamen producere sine dependentia ab aliquo superiori agente, maxime superat.

Ad secundum, Nego Consequentiam; eatenus enim Deus dicitur agere mediantibus causis secundis, quia simul cum ipsis operatur, assimilando effectum causæ secundæ quod tamen non impedit, quominus actionem illius immediatè attingat.

Ad tertium, Distinguo Antecedens. Est sufficienter determinata, determinatione omnimoda, adeò quod non sit necesse ab alio determinari, *nego*; determinatione conuenienti causæ secundæ, *concedo*; vt dictum est.

ARTICVLVS II.

Vtrum concursus ille quo Deus mouet & applicat causas secundas ad operandum, sit ipse Deus, vel qualitas superaddita causis secundis.

De concursu Dei ad causas secundas.

VIDETVR quod sic. *Primò* Absque motione actuali & concursu diuino, non potest causa secunda quippiam operari. Ergo cũ illo potest. Ergo talis concursus tribuit aliquam virtutem ad operandum. Ergo est qualitas, saltim per modum dispositionis transeuntis cum operatione causæ secundæ.

Secundò. Deus est causa Entis vt Ens est, quia vniuersalissimus effectus in vniuersalem causam reduci debet. Ergo si aliquod agens creatum intendit producere effectum sub hac ratione vt habet esse, quæ est vltima actualitas, oportet quod instrumẽtaliter illum attingat, recipiendo virtutem à Deo, & hæc est qualitas.

Tertiò. Iste concursus non est principium actiuum intra causam secundam existens, habito enim principio adhuc desideratur cõcursus superioris agentis, vt ignis habito calore, neque est ipsum agens, alioquin causæ secũdæ nihil agerent. Ergo est quid extrinsecũ, idem cum Deo.

Respondeo, Quod circa hoc sunt diuersæ opiniones. Quidam enim dixerunt motionem & con-

concursum Dei non importare aliquid receptum in causis secundis, antecedens ordine naturæ & causalitatis operationes illarũ, sed esse ipsam Dei voluntatem, prout est parata ad cõcurrendum cum qualibet causa. Alij verò per oppositum affirmãt esse aliquid receptum, & si inquiratur ab eis quidnam sit; respondent esse realem qualitatem, non per modum permanentis, sed tanquam dispositio transiens cum operatione causæ secundæ. Ad horum autem intellectũ oportet considerare, quod *duplex est concursus, Præuius & Simultaneus.* Ille vocatur *Præuius*, quo Deus mouet causam secũdam & applicat ad operandum prius natura quàm sit operatio causæ secundæ, non ad eum modũ quasi Deus & causa secunda sint duæ causæ partiales, quarum vna producat partem effectus, & altera aliam partem. hoc enim falsum est, cum vtrũque agens sit totale in suo ordine, neque etiam eo fine ponitur iste præuius influxus, vt per eum prius à Deo producatur effectus causæ secundæ, & postea operetur illa circa eundem, alioquin productum à Deo, denuò produceretur ab agente creato, sed quo mouet causam, faciendo vt quæ prius erat solùm in potentia operãs, sit actu operãs. *Simultaneus* autem dicitur, quo Deus concurrit ad operationem causæ secundæ, & habet connexionem necessariam cum priori, imò vnus est secundũ vnitatem ordinis. nam influxus in causam ordinatur ad eum qui est in operatio-

Duplex concursus

nem, & terminus præuiæ motionis, qui est esse causam applicatam ad agendum, ordinatur ad hoc quod est actu agere: licet secundũ rem distinguantur abinuicem. nam motio simultanea idem est quod operatio causæ secundæ vt à Deo procedit; sed præuia non est substantia Dei, quæ à nullo recipitur, non qualitas inhærens per modum formæ, nam illa potest esse principium diuersarum actionum, vt calor in igne respectu calefactionum, & scientia in intellectu respectu Conclusionum: sed est motio virtuosa, qua mediante primum & vniuersalissimum agens reducit virtutes actiuas causarum secundarum ad actualem operationem, iuxta modum illis debitum: naturalis enim necessariò mouet, liberas voluntariè, & cõtingentes contingenter, & ita est Ens quoddam incompletum, quod pertransit facta applicatione causæ secundæ ad effectum, à solo Deo efficienter producitur, & respectu illius habet se merè passiuè causa secunda, inconueniens enim est concursum Dei efficienter ab illa procedere, alioquin esset in actu completo & perfecto, absq; hoc quod depẽdeat à prima.

Conclusio. Concursus præuius quo Deus applicat causas secundas ad operandum, non est ipse Deus, nec qualitas habitualis recepta in causis. *Probatur.* Rationibus positis & explicatis *in Corpore.*

Ad primum igitur dicendum, distinguo Antecedẽs, Non potest, ad eum modum quasi non habe-

habeat potentiam ad operandum, *nego*; si verò intelligas, quod fieri non potest vt causa secũda actualiter operetur absq; concursu primæ, *concedo*. Enimuerò omnes causę acceperunt à Deo virtutes actiuas quibus possint operari, sed non complementum virtutis, quæ est motio, nec potuit eis conferri permanenter, quia semper agerent actu.

Ad secundum, Nego Consequentiam. oppositum enim debuit inferri, quia si causa secunda ad producendum effectum sub ratione Entis est instrumentum Dei, procul dubio concursus erit motio virtuosa, vt superius explicauimus.

Ad tertium, Nego Conseq. est enim complementum virtutis.

ARTICVLVS III.

Vtrum motio Dei actualis qua indigent Causæ secundæ vt suos effectus producant, sit influxus immediatus in Causam, vel in eius operationem tantum.

VIDETVR, quod in operationem. *Primò*. Omnis motus quo agentia creata mouẽtur, est sensu perceptibilis, cùm sit naturalis & Physicus. Sed concursus Dei non potest ab aliquo sensu deprehendi, vt experiẽtia comprobat. neque enim de hac re tot Controuersias excitarẽt Scholastici. Ergo sine causa ponitur. *Concursus Dei an possit sensu deprehẽdi*

Secundo. Potentię exteriores quæ sunt in homine, mouẽtur à volũtate ad suas operationes, sicut visus ad videndũ, quia tunc elicit visionẽ, quando voluntas vult illam fieri, sed per talem

motionem nihil producit voluntas præuium actioni visiuæ, cum nonnisi per quandam sympathiam & subordinationem sequatur imperiũ voluntatis. Ergo similiter propter subordinationem quam habẽt causæ secũdæ ad primam, poterunt moueri ad operandum, absq; hoc quod in eis causetur aliquid præcedẽs actionem. Consequentia patet, quia nõ est maior ratio de vno quam de altero, præsertim cum voluntas moueat ab intrinseco.

Tertiò. Aristoteles docet *in lib. 3. Physic.* quod agens vt agens est nõ mouetur, sed mouet. Sed si Deus determinaret causam ad operandum influendo aliquid præuium actioni, moueretur agens formalissimè. Ergo non influit.

Respondeo, Quod sicut docet Aristoteles in pluribus locis, omne quod mouetur ab alio mouetur, & quia non potest esse processus in infinitum, deueniendum est ad vnum primũ mouens, quod est omnino immotũ, alias enim sequeretur omnes causas esse intermedias, & nullam primam aut vltimam, quod destruit totum ordinem causarũ, vt patet. In omnibus autem quorum vnum est primum & aliud vltimum, necesse est primum esse causam posteriorũ, hoc est medij & vltimi influendo in ipsa, ex eo quia Ens per participationẽ subordinatur Enti per essẽtiam, sicut albũ esse albedini, & omnes causæ agentes prout in exercitio aliquid agũt subordinantur Deo in quantũ est omnium prima causa, alioquin singulę essent

prima

prima agentia. quod falsum est. Restat ergo vt dicamus, quod ad hoc vt causæ naturales suas producãt operationes, necessarius est præuius Dei concursus in ipsas causas, quo ad operandũ moueantur & applicentur, & hoc etiam intendit Catechismus decreto Concilij Tridentini editus circa primum symboli articulũ, cuius hæc sunt verba: *Non solum Deus vniuersa quæ sunt, prouidentia sua tuetur atque administrat, verumetiã quæ mouentur & agũt aliquid, intima virtute ad motũ atque actionẽ ita impellit, vt quãuis secundarum causarũ efficientiam nõ impediat, præueniat tamẽ.* Dicitur autem præuenire actionem physicam, non instãti in quo, sed à quo, quandoquidem non datur aliquod instans in quo Deus moueat & applicet causam secundã ad operandũ, & nõ sit operatio, sed solùm est prioritas à quo & causalitatis, vt patet. *Quomodo Deus præueniat actionem physicam.*

Conclusio. Motio Dei actualis qua indigent causæ secũdæ vt suos effectus vel operationes producãt, nõ solùm est influxus in operationem causę secundæ, sed etiam in causam. *Probatur.* Causę secũdæ non tolùm pertinguntad productionem effectus, sed etiam illi tribuũt vltimam actualitatẽ & esse quod habent. quidquid enim reperitur in effectu, producitur effectiuè à causa agente, dummodo sit producibile. Sed non possunt dare esse efficienter, nisi compleantur in virtute actiua per motionem primi agentis. Ergo mouentur. Minor ex eo colligitur, quia omnis forma creata qua agens

agit, est actus permixtus potentiæ, esse autem est vltima actualitas : reliqua tuo discursui committo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem. Non potest sensu deprehendi, quantum ad ordinem secundum quem applicatio causæ præcedit motum, *concedo*, nam hoc solo intellectu cognoscitur: quantum ad ipsam applicationem, causæ ad motum, *nego:* sicut quãdo manus baculo quippiam mouet, concurrit ad illum motum virtus intentionaliter recepta in baculo, sed non potest sentiri quem ordinem habeant inter se illæ virtutes.

Ad secundum, Distinguo Maiorem. Mouẽtur à voluntate, motione physica, *nego*, morali, *concedo*, nam sensus externi quoad operationes proprias non subordinantur essentialiter voluntati, præsertim in esse Physico, sed tantùm in esse morali, quod illis competit extrinseca quadam denominatione, secus autem dicendum est in proposito, vt statim explicabitur.

Ad tertium, Distinguo Antecedens, Agens vt agens est, non mouetur, reduplicando rationem agentis simpliciter, *concedo*; agentis secundarij quod subordinatur essentialiter primo, *nego*: debet enim recipere complementum virtutis actiuæ ab extrinseco, vt dictum est.

A R-

ARTICVLVS IV.

Vtrum Deus prædeterminet voluntatem creatam per modum causæ Physicæ ad quamlibet operationem in particulari.

VIDETVR quod non. *Primò*, Si ad hoc vt homo aliquid velit in particulari, necessarium est, vt Deus absoluto & efficaci concursu prædeterminet liberum illius arbitriũ ad volendum, sequeretur non esse in nostra potestate nisi id tantum velle quod Deus vult nos velle, & si hoc concesseris, iam non liberè volũmus id quod volumus, sed ex necessitate, quia nõ possumus aliter facere, si Deus vult efficaciter vt illud faciamus, & consequenter actus virtutum & vitiorũ non in nostra erũt potestate sed solius Dei. Ergo & primum est inconueniens

Secundò. Indifferentia est de natura voluntatis, ex eo nãque dicitur potentia libera, quia positis omnibus requisitis ad operandũ, potest hoc vel illud operari. Sed prædeterminatio diuina tollit huiusmodi indifferentiam. Ergo non est admittenda. *Minor*. Pro impossibili enim reputãt Thomistæ, vt voluntas creata excitetur à Deo efficaciter ad agendũ hic & nunc, & tamen non agat, qui concursus efficax non esset efficax, quod implicat.

Tertiò. Necessitas opponitur libertati, & actio necessaria actioni liberæ, Sed si Deus mouet vo-

voluntatem concursu physico, quælibet operatio est necessaria. Ergo nõ relinquitur libera. Minor patet, quia necesse est quod si Deus vult aliquid fieri, illud fiat, sicut omnia quæcunque voluit fecit.

Duplex prædeterminatio.

Respondeo, Quod duplex est Causa, & consequenter concursus siue prædeterminatio. Altera *moralis*, & altera *physica*. Appellatur autem *causa moralis*, quæ disponit, consulit, aut præcipit aliquid esse vel non esse faciendum, illius autem concursus & prædefinitio fit per suasionem internam, vel exterius consilium, iuxta quem modum Oratores faciunt apparere voluntati obiectum sub ratione boni, & illud proponendo inclinãt & quasi præmouent voluntatem ad actum volendi; vnde etiam consulunt sæpius bellum esse ducendum, religionem amplectendam, & sic deinceps, de quo motu nihil ad præsens. nam tenet se ex parte obiecti velut propositio illius & ostensio. manifestum est autem quod Deus excitet voluntatem humanam siue per internam inspirationem, siue per illuminationem phantasmatum, siue per doctrinam exterius traditam, sed hic concursus non mutat voluntatem, nec trãsfert de vno ad aliud. Porrò determinatio *physica* duobus modis sumitur: primò quatenus hęc vox *physica* idem sonat quod *naturalis & necessaria*, & in hoc sensu nullus Catholicorum docuit, aut potuit docere, Deum suo efficaci concursu physicè ac necessariò prædefinire liberũ ho-

hominis arbitrium ad aliquid operandum in particulari, sicut ignis à calore inclinatur ad calefaciendum. nam ista ratio tolleret vsum bonum illius, vt rationes à principio positæ conuincunt. Deinde præmotio physica accipitur pro illa quæ non est moralis, sed ab ea distinguitur, & non fit per solam suasionem & propositionem Obiecti, sed per verum & realem influxum. Et sic est intelligendum in præsenti. ad diuinam enim prouidentiam pertinet, conseruare naturas omnium causarum, & ad operandum mouere, iuxta modum cuilibet causæ conuenientem, ita sanè quod si causæ secundæ fuerint naturales, debent moueri necessariò, quemadmodum ignis ad calefaciendum; si autem liberæ, mouendæ sunt tali concursu, ad quem sequatur actio infallibilis, sed tamen non erit libera, sicut enim inclinatio naturalis non est nisi à Deo qui dat naturam; ita voluntatis propensio non est nisi ab eo qui caulat voluntatem. Sed hic sistamus. *Causæ naturales & liberæ.*

Conclusio. Deus gloriosus absoluto & efficaci concursu ad modum causæ physicæ prædeterminat voluntatem creatam ad omnes operationes in particulari. *Probatur.* Sicut de natura voluntatis humanæ est quod se determinet, ita etiam quod se moueat. Sed ex quo non est primum mouens, non mouet se actu nisi prius moueatur à Deo. Ergo cum non sit primum agens liberum, nec primum se determinans, debet à diuino concursu determinari

per

per modum causæ efficientis verè agentis.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Antecedens. Non esset in nostra potestate, nisi id velle quod Deus vult, ex suppositione diuinæ motionis ex se efficacis, *concedo*; absolutè, *nego*: si enim Deus prædeterminauit me ad volendum hoc obiectum in particulari, & hanc actionem, erit in potestate mea absolutè aliud quippiam velle; sed suppositâ volitione huius obiecti ad quod se determinauit voluntas, nô erit: quemadmodum accidit homini absolutè moueri localiter; sed suppositô cursu, non accidit.

Ad secundum, Distinguo Maiorem. Differentia est de natura voluntatis, si est passiua, quàm habet respectu Dei à quo recipit motionem, *nego*: quia essentialiter Deo subordinatur voluntas; vt antea dictum: actiua respectu operationis concedo, & hæc tollitur per actum liberum formaliter.

Ad Tertium, Distinguo Maiorem, Necessitas opponitur libertati, absoluta, *concedo*; ex hypothesi, *nego*, vt explicatum est.

ARTICVLVS V.

Vtrum voluntas mota à Deo per auxilium efficax, possit eidem resistere & non consentire.

De libero arbitrio.

VIDETVR quod sic. *Primò*. Voluntas humana maiorem habet virtutem quacunque motione & concursu præuio. Ergo potest illi

illi resistere & non conuerti. Anteced. nam concursus iste est volũtate inferior,& illi subiacet quoad vsum, vt ex dictis facilè colligitur.

Secundò. Si non posset mota efficaciter resistere, Deus esset auctor peccati,quia, vt dicis, trahit voluutatem ad quamlibet operationẽ, quæ interdũ est peccaminosa,quod tamen impium est asserere. Ergo.

Tertio. In Concil Trid.Sess. 6. sic erat definitum: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatũ nihil cooperari, neque posse dissentire si velit,anathema sit.* Vnd etiã *Matt.* 23. dicitur *Quoties volui congregare filios tuos & noluisti.*& Psal.16. *A resistẽtibus dexteræ tuæ custodi me.* Ergo vt prius.

Respondeo,Quod sicut docetur in Logicis, duplex est Propositio modalis, vna in sensu cõposito, in qua subijcitur *Dictum & Modus* prædicatur;vel è conuerso, vt Petrum disputare est possibile;altera in sensu diuiso, in qua partes *Dicti* secãtur per modum,vt Petrum possibile est disputare. Agens itaque liberum nõ potest dissentire motioni diuinæ in sensu cõposito,& præsertim si fuerit compositio vnius actus cũ altero, potest tamen in sensu diuiso, vt patet, dicendo: Si Deus prædeterminauit Frãciscum auxilio efficaci ad faciendam finalem pœnitentiam,vel ad religionis ingressum,faciet pœnitentiam: alioquin sustinendo oppositũ, erit compositio duorũ actuũ,quorum vnus cõtraria-

riatur alteri: & ita simul nequeunt se compati motio Dei ad faciendam pœnitentiam, & resistētia actualis. nam motum efficaciter nō moueri implicat, sicut prædestinatum damnari. Cęterum componendo motionem Dei præuiam non cum actuali resistentia, sed cum facultate ad resistendū, manifestū est quod si Deus prædefinit aliquem ad operandum, potest non operari, licet de facto operabitur. quia in eo est facultas ad vtrum libet, etiam in sensu cōposito, nec aliquo modo contrariatur motiō præuia virtuti ad resistendum, potestque simul esse cum illa, sicut esse cæcum & esse videntem sunt actus oppositi: at verō esse cæcum & posse videre, nequaquam. album etiam nigro contrariatur, sed non quod potest fieri nigrum, vt paries. Aliud ergo est simultas potentiæ, & aliud potentia simultatis, & in voluntate hominis est simultas potentiæ ad operandum & non operandum, id est ad vtrunque oppositorum est potentia. nam per hoc quod vnum actum operatur, non amittit virtutem operandi actum oppositum, aut nihil penitus agendi, non tamen est potentia simultatis, quasi ad actus contrarios simul habendos, quia repugnat voluntatem simul velle & nolle; operari & quiescere, vt ratio demonstrat.

Voluntas hominis à Deo mota inresistit

Conclusio. Voluntas hominis mota à Deo efficaciter, simul retinet potentiam qua potest resistere, si velit, nunquam tamen actu resistit.

pro-

Probatur. Nam *Prouerb.* 21. sic ait Scriptura: *Cor regis in manu Domini sicut diuisiones aquarum, quòcunque voluerit, vertet illud.* Ex quo loco tale argumentum conficio: Deus habet dominium absolutum & independens supra omnem causam secundam. Ergo & facultatem vtendi illa quando & quomodo vult. Ergo nunquam voluntas actui resistit.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Antecedens. Si consideretur illa motio secundum suam entitatem præcisè, vt est quid transiens, & naturæ incompletæ, *concedo*; prout est instrumentum Dei volétis hominem efficaciter ad se conuertere, *nego.*

Ad secundum, Distinguo Antecedens. Esset auctor peccati, quantum ad actum peccaminosum, *concedo*, quantum ad deformitatem actus, *nego.* Ista enim duo in quolibet peccato reperiuntur, & quidē actus habet rationem Entis & boni per participationem, sed quia defectibilis est, non prouenit ab aliqua causa vt operante, sed in operatione deficiente: ipsa tamen deformitas non est de essentia actus, nisi reduplicatiuè sumatur, vt est peccaminosus.

Ad tertium, Dico quod Concilium loquitur in sensu diuiso, & non composito. Saluator de voluntate antecedente, quæ à Theologis nuncupatur voluntas signi, non autem efficaci & consequente, vt nos in præsenti accipimus. Psalmista de resistentibus alicui bono determinato, sed non ordini gubernationis & *Voluntas signi.*

prouidentiæ Dei. *Et quoniam altioribus controuersijs quæ in Academijs Theologorum hac nostra tempestate agitari solent, non potest tuus iuuenilis animus se oblectare, idcirco & concursus diuini, & totius libri secundi finis hic est, ad honorem Sanctissimæ Trinitatis, Deiparæ Virginis, nec non doctrinæ Thomisticæ exaltationem.*

IN TERTIVM LIB. ARISTOT. DE PHYSICA AVSCVLTATIONE QVAESTIONES.

SVMMA TEXTVS IN Prima parte.

Passiones Entis mobilis.

PRIMA *Conclusio.* Ad Philosophum naturalem pertinet agere de passionibus Entis mobilis, quæ sunt, *Motus, Infinitum, Locus, Vacuum, & Tempus.* *Probatur.* Cùm superiore libro quid natura esset explicarem, principium ipsam motionis dixi. quapropter methodus doctrinæ postulare videtur, vt quid *Motus* etiam sit ostendam, necessarium enim est, ignorato ipso, ignorari Naturam. Et quia videtur continuorum esse, infinitum autem apparet primum in con-

continuo, non erit hoc inutile comprehẽdere. Præterea, moueri nihil potest, quod in loco aliquo non est, locum verò quoddam inane spacium esse nonnulli sunt arbitrati. quid igitur sit hoc, ostendendum est. Insuper, cùm motus fiat in tempore, nec in momento eius quippiã moueatur, tempus quoque propriam requiret tractationem. Ergo de his omniũ naturalium affectionibus ad Philosophum pertinet disputare.

Secunda Conclusio. Cùm via inueniendi definitiones rerum latentium non vna sit, & diuisio præcipua, ab hypothesi quorundã sumendum est initium. *Probatur.* Nam diuisio prima est: Eorum quę sunt, aliud quidem actu solùm, aliud verò in potentia, aut actu & potentia simul. quæ actu tantum, res dicũtur diuinæ; quę in potentia, entelechia; sed quæ actu & potentia, naturales: nec quidquam est quod hac diuisione non comprehendatur. *Secunda.* Res quæ actus & potentiæ participes sunt, in decem illa nota omnium rerum genera secantur. nihil enim hoc pacto nominari potest, quod non secundum substantiam, aut quantitatem, aut alia reliquorum generum sit, quibus commune nihil est accipere. *Tertia.* Eorum quæ ad aliquid sunt, alia quidem super quantitate habẽt respectum, vt duplum ad dimidium, quas aliæ deinceps non sequuntur energiæ; quædam vt actiuũ & passiuum atque omnino motiuum & mobile. Ergo cum ex prædictis diuisionibus

prima sit vtilis ad dignoscendum sitne motus potestas vel actus; secũda ad designandã illius Categoriam, non enim est aliquid præter res ad quas est; vltima ad repellendos eos qui motum à relatione neutiquam dissidere opinantur, cum tamen non sit ad aliquid. benè ab hypothesi sumitur initium.

Tertia Conclusio. Motus est actus Entis in potentia secundum quod in potentia. *Probatur.* Est perfectio non eius quod perfectum est, talis enim censetur habitus & quies in termino, sed quod imperfectum, vt augmentabilis & decrescibilis augmentatio & decrementum, generabilis autem generatio, & alia eiusdem generis. Ergo congruè definitur vt præfatum est, & incongruè iuxta antiquos existimantes esse alteritatem vel inæqualitatem. sed melius est actum esse, rei quidem imperfectæ, tendentis ad vlteriorem gradum, siquidem dum motus rei quæ mouetur inest, semper aliquid deest accipiendum, vnde motus difficilè cognoscitur, cùm nec priuatio sit, nec potentia pura, nec verò actus absolutè, sed in potentia quatenus in potentia.

Motus quid.

Quarta Conclusio. Cum potentia sit quædam mouentis actiua, & mobilis passiua, motus est vtriusque actus. *Probatur.* Illud quod prius est in potentia ad aliquid, & postea quando illud habet quiescit, mouetur. Sed agens physicum antequam agat, est in potentia ad agere,

re, & postquam egerit, quiescit ab actione. Ergo dum agit mouetur, & postquam genuerit quiescit à generatione. Ergo generans mouebatur. Quamuis autem hoc verum sit, alia tamen ratione ast actus mouentis motus, & alia mobilis. est enm mouentis per accidens, quatenus in actu existit per formam, & mobilis per se, quia secundum quod in potentia. *Actio & passio idē motus.*

Quinta Conclusio Actio & passio sunt re idem motus, in passo subiectiuè existens. *Probatur.* Nam si diuersi sunt, aut vterque in patiente, vel actio quidem in agente, passio in patiente, aut actio in patiēte, & passio in agente. Sed non primū, quia actus non in proprio subiecto fieret, hoc est actio, quæ actus est agentis, vt doctio doctoris; nec secundum, quia tunc in agente motus erit, puta actus ille, cùm eadem ratio sit actus producti in passo, & in agente, vt sit vterque motus; nec postremum, quia actum in passo actionem vocare, æquiuoca nominatio. Ergo idem re motus vtrumque est, sed in passo velut subiecto. nam vt ab agente actio, & passio in recipiente. *Hæc docentur in Textu.*

QVAESTIO XIII.

De mutatione Physica & motu.

ARTICVLVS I.

Vtrum motus sit actus Entis in potentia secundum quod in potentia.

VIDETVR, quod non. *Primò.* Motus non determinat sibi Prædicamentum, sed ad genus sui termini reducitur, vt dealbatio ad genus albedinis. Ergo non potest habere certam definitionem, quia genus in definitione positum, non magis esset vnius Prædicamenti quam alterius.

Secundò. Hæc definitio conuenit alteri à definito, & in primis formæ substantiali, quæ est actus materiæ vt in potentia; deinde animæ rationali, quæ est actus corporis physici in potentia vitam habentis; præterea intellectui, qui actus est animæ existentis in potentia ad intelligendum. Ergo est vitiosa.

Tertiò. Quilibet actus facit rem esse in actu, vt calor rem calidam. Sed Motus non facit aliquid in actu, quia est entis in potentia. Ergo absque omni prorsus fundamento appellatur actus.

Respondeo, Quod postquam Aristoteles in superioribus libris explicauit principia & causas Entis mobilis in cõmuni, quod est subiectum istius scientiæ, vt antea demonstrauimus; nunc

aggre-

aggreditur proprietates illius, quæ sunt *Motus, Locus, Vacuum, Tempus*, & huiusmodi: quã tractationem à principio huius libri vsque ad finem totius Physicę vberiori sermone prosequitur. In præsenti enim de *Motu & Infinito* differit; in quarto *Loci, Vacui, & Temporis* naturam demonstrat; in quinto *de Speciebus & cõtrarietate motuum*; in sexto verò, septimo & octauo, *de quibusdã theorematibus quæ ad motum spectant*, prolixã disputationem instituit. Quãtum verò ad præsens attinet, definitio primæ passionis erat huiusmodi: *Motus est actus Entis in potentia secundum quod in potentia.* Dicitur *actus*, nõ ille qui perfectus est, velut forma nullam habẽs permixtionem potentiæ (talis enim perfectio est quies in termino siue habitus, vt albedo respectu albi) sed imperfectus, velut via & progressus ad formam, siue vt alij dicũt, est actus illius quod imperfectum est, perfici tamen potest. Sumamus exemplum aliquod in quo rem hanc planius explicemus. Aqua frigida potentiam habet vt possit calefieri, & in quantũ est huiusmodi, imperfecta est, nõ dico ratione caliditatis, sed quia præcisè potest calefieri, quando autem re ipsa calefit, calefactio id dicitur, quæ motus est, & actus imperfectus siue in fieri, medius inter duos perfectos, videlicet inter frigiditatẽ à qua incipit calefieri deponendo illã, & caliditatẽ in quã desinit acquirẽdo, est enim quædam acquisitio caloris calefactio. Quod verò additur *Entis*, nõ est vniuer-

Explicatur definitio Motus.

saliter intelligendum, sed illud dũtaxat quod est integrum & completum, nam si pro omni Ente poneretur, generatio substantialis esset in rigore motus, quia est actus materiæ, quæ est Ens potentiale ad formam, & hoc contrariatur Philosopho sæpius docenti, ad substantiam motum non esse. Vltima fuit particula, *in potentia secundum quod in potentia*, eoque fine ponitur, vt intelligamus aliam esse potentiam mobilis ad motum, & aliam ad ipsius terminum, quia & lapis appetit moueri deorsum, & vltra hoc in cẽtro quiescere. motus ergo actus quidam est, & similiter forma acquisita per ipsum, sed respectu diuersæ potentiæ rei mobilis, vt patet. Quamuis enim mobile habendo motum sit quodammodo in actu, adhuc tamen remanet potestas ad formam quæ in termino est acquirenda, & nonnisi per adnẽtum illius completur. Ista explicatio verè Thomistica omnes in hoc Caput excitatos clamores facillimè compescit, & definitionem esse congruam demonstrat, quæ reuera essentialis est & nõ accidentaria, pro genere actum & perfectionem includens.

Conclusio. Motus est actus Entis in potentia secundum quod in potentia. *Probatur*, Explicãdo singulas partes definitionis, vt dictum est *in Corpore*.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Anteced. Non determinat sibi Prædicamentum, si accipiatur materialiter & pro forma fluente,

con-

concedo; formaliter & pro fluxu siue continua acquisitione ipsius formæ. *nego*: quia hoc pacto vt ab agente procedit est actio, vt in subiecto recipitur, passio.

Ad secundum, Nego Antecedens, quia nec forma Physica respectu materiæ. est actus imperfectus, qualem hic definit Aristoteles, nec anima rationalis cum successione materiam perficit, sed tota simul in toto est, & in qualibet parte illius.

Ad tertium, Distinguo Minorem, Motus non facit aliquid in actu, perfecto & permanente, *concedo*; imperfecto & transeunte, *nego*, vt dictum est.

ARTICVLVS II.

Vtrum motus distinguatur realiter à termino.

VIDETVR quod sic. *Primò*. Illa quæ sic ordinantur adinuicem, vt possit vnum esse absque altero, distinguuntur realiter, sicut albedo & paries. Sed motus potest esse absque termino, & viceuersa. Ergo non sunt vna eademque res. *Minor*. nam antequam sit terminus, motus est, & hoc præsente non est terminus, vt patet. *Definitio motus & Termini.*

Secundò. Prædicata contradictoria non possunt de eodem verificari, quia sicut affirmatio & negatio, esse & non esse, opponuntur.

Sed de Motu & illius termino verificătur. Ergo sunt res omninò diuersæ. Minor, motus enim est forma fluens, actus Entis in potentia, & habet esse permixtum, sed terminus est forma permanens, actus Entis in actu, cuius esse simplex, quamuis impurum.

Tertiò. Quæ proprietatibus specificis differunt, realiter differunt. principium enim passionis est differentia speciei. Sed alia est proprietas motus à proprietate specifica termini. Ergo & ipsa res alia. Minor patet, quia proprium est motui vt sit velox vel tardus, vt partes eius continentur per mutata esse: quod termino repugnat.

Respondeo, Quod in motu physico tria sunt consideranda, videlicet *esse ab alio*, tanquam ab agente; *in alio* tanquam in subiecto; & *ad aliud* tanquam ad terminum: sicut calefactio egreditur ab igne calefaciente, recipitur in aqua, & est propter calorem qui terminat motum. Certum ergo est, ab alio esse, & in alio recipi, identificari motui realiter, nec minus est de natura mutationis physicæ, quod sit à mouente velut à principio, quam quod recipiatur in mobili tanquam in subiecto, sed an terminus identificetur, res est obscurior. Vestigijs tamen præstantissimorum Philosophorum inhærendo, & maximè Doctoris Angelici, tali assertione definio dubium, & dico quod motus augmentationis & alterationis nō sunt res distinctæ à terminis ad quos ordinantur

tur, hoc est à quantitate & qualitate, sed quodlibet horum & motus & terminus dicitur, modò sub esse imperfecto existens, & deinde sub perfectiori: idem enim calor qui in fluxu est motus, in esse perfecto appellatur terminus, sicut vir non distinguitur à seipso puero. Quod etiam de motu locali asserendum est respectu termini intrinseci, qui est *vbi* vel esse in loco. sola enim ratione differunt, & in eodem subiecto recipiuntur, quamuis respectu termini extrinseci qui Locus est, aliter philosophari debeamus: sicut enim in alio subiecto est motus localis & acquisitio loci, cuiusmodi est mobile, & in alio locus, quia in corpore circumstante, accidentia verò quæ subiectis differunt, reipsa differunt; ita Motus est alia res à Loco, vt est manifestum. Sola itaque distinctio rationis ratiocinatæ inter motum & illius terminum est, quia nonnulla verificantur de vno & non de altero.

Conclusio. Motus quilibet sola ratione distinguitur à termino *Probatur* Motus non est aliud præter eas res ad quas est. et comparatur ad terminum, sicut fieri ad factum esse, et imperfectum ad perfectius. Sed eadem res quæ fit, est postmodum facta est, imperfectum etiam non differt realiter à perfecto in eodem supposito. Ergo nec motus à termino.

Ad

Ad primum igitur dicendum, Nego Maiorem. Fundamentum enim relationis potest absque illa existere, & tamen non sunt res distinctæ, quemadmodum materia est inseparabilis à forma, respectu cuius est Ens diuersum. Quare illi decipiuntur, qui existimant ex separabilitate aliquorum rectè colligi posse distinctionem, aut ex inseparabilitate identitatem,

Ad secundum, Distingno Maiorem. Nõ possunt de eodem verificari, quod est idem secundum rem & intellectum, *concedo*; secundum rem tantùm, *nego*, & sic erunt in præsenti.

Ad tertium, Nego Maiorem, quia proprietates albedinis & similitudinis diuersę sunt, eadem re manente; sufficiebat ergo solam distinctionem rationis ex hoc argumento concludere.

QVAESTIO XIV.

De natura actionis physicæ & illius subiecto.

ARTICVLVS I.

Vtrum actio & passio sint vnus numero motus.

VIDETVR quod non. *Primò.* Potest manere motus cessante actione & passione. Ergo non sunt idem realiter. Antecedens probatur ab exemplo lapidis, qui postquam fuerit

fuerit proiectus sursum mouebitur, quamuis amplius non sit aliquid proijciens.

Secundò. Si actio & passio essent idem numero motus, sequeretur idem esse causam suiipsius, quandoquidem actio est causa passionis, nemo autem concesit hactenus ignem calefacientem calefieri. præterea, omne agens vt agens est moueretur, & non esset id vnde principium motus, quod falsum est. Ergo vt primum,

Tertiò. Quæ differunt genere, & specie; quæ autem specie, & numero; quod si numero, realiter, Sed actio & passio sunt prædicamenta genere distincta, vt in Logicis decantant pueri. Ergo non sunt vna eademque res.

Respondeo, Quod cum in fronte istius difficultatis apponatur hæc dictio motus, certum est non de omni actione intelligendam esse, sed de illa duntaxat, quę transit in exteriorem materiam à principio agente, quæ autem appellatur immanens, nullam ex se infert passionem, sed intus manet, vt visio in oculo. Sciendum est ergo, quod actio transiens duo importat, vnum in recto, hoc est, motum, & aliud in obliquo, scilicet relationē agentis ad passum. Et quidē si accipiatur quantū ad id quod dicit in recto, est eadem res cum passione, nō enim aliud quid diuersum recipitur in subiecto actionis, & aliud ab agente profluit: quantum verò ad id quod dicit in obliquo, realiter distinguitur à pas-

Actio trā-siens quæ importat.

à passione, propter relationem oppositam, nam relatio agentis est in agente velut in subiecto, & relatio patientis in passo. manifestum est autem idem numero accidens non posse existere in diuersis subiectis realiter: alioquin esset vnum & plura, quod implicat, vtpote quod nonnisi ex subiecto in quo est indiuiduatur. Motus verò qui communis est vtrique generi, & importatur in recto, non se habet per modum generis aut speciei ad vtrumque, nec est commune prædicatum secundum analogiam aut proportionem, quia omne superius cui non repugnat à parte rei habere inferiora, multiplicatur secundum rem in inferioribus, vt animal in equo & homine, motus autem non multiplicatur in agente & passo, sed hæc communitas est subiecti ad accidentia, eò quod Entitas & natura motus vt ab alio est, dicitur actio, vt in alio passio, estque actus mouentis vt à quo principio, & patientis vt in quo subiecto.

Conclusio. Actio transiens sumpta pro eo quod dicit in recto, est idem numero motus cum passione. *Probatur.* Illud idem quod ab agente procedit, recipitur in passo, licet ex eo quod procedit, dicatur actio, & quia recipitur, passio Ergo sunt idem numero motus.

Ad primum igitur dicendum, Nego Antecedens. quando enim lapis sursum proiectus mouetur, non est illi coniunctum proijciens in supposito, quasi contactu molis, sed est in virtute

virtute, quia impulsus lapidis à quo rapitur in locum superiorem, est virtus actiua, & consequenter productiua motus in lapide.

Ad secundum, Nego sequelam. eatenus enim actio censetur esse passionis causa, quia motus prius intelligitur ab agente procedere, & postmodũ in alio recipi: hoc autẽ non est agens moueri vt agẽs est. nã illud mouetur, cuius motus est actus velut subiecti, & nõ solũ vt principij.

Ad tertium, Distinguo Consequentiam. Nam sunt vna res, realitate actionis & passionis, *concedo*; realitate motus, *nego*. Volo dicere, quod res vna numero materialiter, potest esse multiplex numero secundum diuersa genera, vt albedo extensa in pariete, ratione extensionis est indiuiduum quantitatis, & ratione coloris est qualitas, cum tamen nec extensio albedinis habeat aliud subiectum ab albedine, nec albedo aliud ab extensione; & sic calefactio vt actio, & vt passio distinguuntur numero conueniente ipsis generibus, hoc est actioni & passioni, sed non numero conueniente motui, qui est idem realiter, vt dictum est.

ARTICVLVS II.

Vtrum actio transiens sit in agente.

VIDETVR quod sic. *Primò*. Forma non perficit nisi subiectum in quo est, dando illi esse, nã Petrus nõ est sapiẽs ab illa sapientia quam non habet. Sed actio transiens est realis, per-

perfectio agentis vt agens est, qua mediante potentia reducitur ad actum. Ergo est in agente. Minor patet, quia vnumquodque est propter suam operationem, & præcipuè agẽs, quod in agendo aliter se habet, quam antea.

Secundò Vbi est relatio, debet esse illius fundamentum, Sed actio est ratio fundandi relationem agentis ad passum Ergo sicut relatio est in agente, ita & actio.

Tertiò. Angelicus Præceptor *in 2. lib. Contra gentes Cap. 9.* sic ait: *Actio quæ non est substantia agentis, inest ei sicuti accidens subiecto*, & *in Q. 7. de potentia art. 9. ad 7. Actio*, inquit, *vt actio consideratur ab agente; inquantum verò est accidẽs, vt in subiecto agente.* Et *in 2. Sentent. Dist. 40. Q. 2. art. 4.* habet hanc periodum: *Cum actio sit in agente, & passio in patiente, non potest esse idẽ numero accidens, cum non possit esse in diuersis subiectis*. Ergo ex mente Sanctissimi Doctoris, affirmatiua pars est verior.

Respondeo, Quod hanc Quæstionem quamuis metaphysica sit, excusare hic nulla ratione potui, quia vsu iam recepta est, & natura motus ad plenum intelligi non potest, nisi præcognoscatur quidnam sit actio, & in quo. Notandum est igitur, quod actio cum passione motum significant in recto; qui est vnus numero, vt diximus; & in obliquo relationem; nec licet fingere aliquid tertium, velut actum & rationem agendi. si quæ enim est talis ratio, forma dicitur agentis, & non actio aut entitas

Actio quid & in quo.

absо-

absoluta, quæ sit productio actiua motus, & fundamentum relationis. Considerando actionem pro respectu, est in agente per inhæsionem, eatenus enim dicitur aliter se habere dū agit, quia ab illo motus est, quod sine mutatione saltem metaphysica non intelligitur. Si quando autem viri doctissimi ex Schola Thomistarum, pro perfectione agentis assignant actionem, explicandum est de perfectione extrinseca, inquantum per eam conseruatur species, sed non intrinseca, quia agens non eo fine operatur vt se perficiat, sed passum, quod præsupponitur in se perfectum. Pro Motu autem sumpta actio, nonnisi in passo subiectiuè existit, velut actus Entis in potentia. agens autem inquantum agit, non est in potentia passiua ad motum, quia mouendo aliud moueretur à seipso, & calefaciendo calefieret, quod implicat. Neque hoc est nouum apud Philosophos, etiamsi exinde sequatur rationem fundandi respectum agentis, in alio subiecto existere simul cum motu, sufficit enim quod fluxerit à potentia quæ est relationis fundamentum, præsertim cum actio existens in passo non illud denominet agens; quia ibi relatio agentis, non est vt à quo motus est, sed in quo, & ab alio.

Conclusio. Actio transiens non est in agente velut in subiecto. *Probatur.* Agens esset mobile, & nullum discrimen inter actionem transeuntem & immanentem sequeretur, hæc enim est in agente. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem. Est perfectio agentis formaliter, *nego*; manifestatiuè, *concedo*. est enim actio signum perfectionis quæ est in agente, quia potens est alteri eandem conferre. Dico *in agente*, velut principio, sed non subiecto.

Ad secundum, Nego Consequentiam. nam relatio agentis non fundatur in actione, sed in potentia actiua, ipsa tamen actio est ratio fundandi, de qua manifestum est, quod non requiritur vt sit in eo in quo relatio.

Ad tertium, Dico, quod S. Thomas nõ loquitur in locis præfatis de actione secundum se, sed ratione relationis, siue quoad denominationem. ita enim videtur esse in agente; ratione verò sui exitus, magis dicitur esse ab agente.

SVMMA TEXTVS IN secunda Parte.

De Infinito.

PRIMA *Conclusio*. Propria est & peculiaris Physici de Infinito disputatio. *Probatur*. Talis scientia circa magnitudinem, motum, & tempus est. Sed vnumquodque horũ finitũ aut infinitũ, sunt enim quanta, cuius generis hęc dicuntur passiones. Et quod huius scientiæ signum est, qui enim videtur Philosophiã pro dignitate tetigisse, fecerunt de illo sermonem, & tanquam principium eorũ quæ sunt statuerunt, tametsi id differenter. Ergo.

Secunda Conclusio. Nullatenus actu Infinitũ

polsi

possibile est, sed in potentia. *Probatur prima pars.* Neque enim vt corpus, quia tale est quātum, vnica aut pluribus superficiebus terminatū; nec numerus vt separatus secundū definitionem mathematicam à materia. quod si non, pertransire vtique possibile erit infinitū, hoc est numerabile. Ergo. Quocirca nihil compositum erit tale vel simplex, aut enim ex partibus numero infinitis esset, quæ vt sic alicubi nō essent, vt existeret immobile, cùm tamen certis & definitis locorum interuallis moueātur corpora. sursum enim erumpūt leuia, deorsum grauia feruntur, sicque deinceps. aut finitis magnitudine, & hoc nequaquam, cuius enim partes hoc pacto sunt finitæ, ipsum infinitum cur asseris? omnia autem dicere infinita non potes, quia vnum sua dimēsione in singulas loci partes extēditur, vt reliquis nō relinquatur spacium. Secunda pars ita ostenditur. Quemadmodū diuisa quantitate cōtinua minimū occurrit, sed ad finem venire non licet; ita cōponendo eandem, & addendo semper aliquid ad maximū peruenies. Ergo infinitum est appositione & ablatione, hoc est in potentia, quia in hoc finis vnitatum non occurret. Non oportet autē facultate aliquid Infinitum dici, eo modo quo truncum statuam, qui cum nondū sit statua, artificis opera actu fiet, cùm prius facultate fieret, sed quia actui perpetuo connexa est potentia, & in omnibus ijs quæ non tam quod sint, quam

quod perpetuò fiant, esse dicuntur. Successiuorum enim fieri est esse, quemadmodũ Olympiaca certamina esse, nõ quod iam celebrentur, aut peracta sint, sed quia vertente quinquennio celebrari rursum queant, dicimus.

Tertia Conclusio. Infinitum contrario modo definiri debet, quàm vt dicũt priores. *Probatur* Non cuius est nihil extra, quia mundus sic esset, sed cuius semper aliquid extra est, hoc infinitum est; signum autem vltius, quia annulos infinitos dicunt, non habentes palam, semper enim & in illis aliquid extra est accipere, secundum similitudinem tamen, quia nunquam idem accipitur in infinito, in annulo autem sic, sed semper quod est consequenter solùm alterum, vt in exemplo dictum est, Ergo. Hinc collige, infinitum vt sic esse ignotum, & rationem partis habere, speciem enim non habet tanquam materia pars totius, sicut æs æneæ statuę; in discretis & continuis differre, siquidem & corpus diuidendo in partes, à toto fiet processus, cum terminus à quo diuisionis sit totũ, & ad quem partes, & in numeris per appositionem partium crescit totum, sicque rationabiliter versus minimum terminus est, sed non ad maximum, & in magnitudinibus è contra, versus enim minus omnem excedere magnitudinem solet, versus maius non esse infinita, quia vnumquodq; indiuisibile, vt homo, vnus homo, non plures. *Hæc habet Textus Philosophi.*

QVAE-

QVAESTIO XV.

De natura Entis infiniti.

ARTICVLVS I.

Vtrum spectet ad Philosophum naturalem agere de infinito.

VIDETVR quod non. *Primò.* Infinitum non habet rationem Entis, cum non sit possibile illud actu existere. Ergo nec rationem scibilis. Conseq. nam de non Ente non est scientia.

Secundò. Philosophus naturalis pro Obiecto habet Ens mobile, sub quo etiam proprietates & principia considerantur. Sed infinitum neque mobile est, quia si daretur occuparet omnia, neque principium, vtpote materia vel forma, nec tandem proprietas, quia non designat aliquid positiuum actuale per modum Entis & naturæ. Ergo.

Tertiò. Finitum & infinitum sunt quidam modi generales Entis, Ergo si ad aliquem Philosophum pertinet de illis sermonem instituere, is erit Metaphysicus, qui de modis & proprietatibus Entium disserit.

Respondeo, Quod de Infinito pro intentione secunda non disputamus, quia ad Logicum pertinet, veluti nomen cui adiungitur particula negatiua, sitque vnus terminus nihil determinatè significans per modum Entis, sed pro formali negationem finiti, connotando omne

illud de quo potest verificari. Res autem infinita est multiplex. aut enim secundum essentiam, vt Deus, cuius natura nullis terminis essentialibus circumscribitur vel limitatur; aut secundum durationem, sicut anima rationis compos, cœlum, & elementa, quæ in omne æuum consistent; aut secundum indeterminationem, sicut materia respectu formarum substantialium; aut denique secundum extensionem quantitatiuam, vel actu, quando nullis terminis extensio clauditur, vel potentia, vt *dictum est in textu.* Agere de infinito secundum essentiam, ad Metaphysicum pertinet, quia infinitas essentialis, est quidam modus generaliter Enti conueniens, eiusdem autem scientiæ munus est tractare de Obiecto, & modis illius. Similiter aperta res est, quod infinitum secundum indeterminationem ad Physicum pertineat, & secundum durationem, in quo ordine sunt motus orbium, & his similia. Magis autem proprium est Philosopho naturali de infinito secundum quantitatem agere, actuali quidem, quoad *quid nominis*, explicando quid hæc vox significet, negando ipsum esse; de potentiali verò, *An sit*, & *Quid*, vtrum debeat distingui in species, & quomodo: quod totum accuratè & perdoctè ex propria scientia aduersus veteres explicat Aristoteles in præsenti.

Infinitum multiplex

Conclusio. Ad Philosophum naturalem attinet de infinito disputare. *Probatur.* Infinitum per ap-

appositionem vel additionem est quędam proprietas conueniens magnitudini, motui, & tempori. Ergo ad eandem scientiam pertinent.

Ad primum igitur dicendum, Nego Conseq. quamuis enim infinitum non sit possibile, hoc tamen nō esse possibile, pertinet ad Physicum demonstrare, non vt sciatur simpliciter, sed tantum non esse possibile, sicut *de Vacuo* dicetur, in lib. sequente.

Ad secundum, Nego Minorem, quia infinitum in potentia est proprietas Entis, sed non in actu.

Ad tertium, Distinguo Anteced. Sunt modi Entis Infinita secundum essentiam, *concedo*, secundum quantitatem & extensionem, *nego*, vt dictum est.

ARTICVLVS II.

Vtrum per vires causarum naturalium possit dari aliquid actu infinitum.

VIDETVR quod sic. *Primò*. Secundum Aristotelem, si aliquid contrarium in natura est, debet esse illius oppositum, nihil enim sibiipsi contrariatur. Sed finitum & infinitum sunt contraria, datur autem finitum actu per vires naturæ. Ergo.

Secundò. Sit ignis non impeditus, cui si applicentur infinita corruptibilia, prodeunt infiniti calores, Ergo de facto habet virtutem factiuam infiniti, & hæc naturalis est, vt patet.

Tertiò. Potentia frustra est, quæ ad actum nō reducitur, illud enim significat, quod fieri potest aliquando. sed Philosophus admittit in præsenti infinitum in potentia. Ergo naturaliter potest esse in actu.

Infinitum secundum quantitatem quoquo modo.

Respondeo, Quod vt supra dictum est, nonnisi de infinito secundum quantitatem est sermo, cuius mutsiplex acceptio inuenitur apud Philosophos. Et dicitur aliquando *Infinitum negatiuè,* vtpote cuius non est terminus, neque aptitudo ad hoc vt terminetur, quia non est quātum, vt punctus rectè appellari potest infinitus per negationem; aliquando *priuatiuè,* pro eo quod non est clausum terminis, sed aptum terminari & claudi, quia est extensum, & sic linea nullis terminis comprehensa intelligitur; interdum *in actu* quod habet in veritate partes infinitas, & insuper in potentia. Tenendum est igitur cum Arist. nihil actu esse infinitum secundum extensionem, nec posse fieri naturaliter, omne enim compositum cōstituitur in certa specie per formam, & quia forma naturalis determinat sibi certam quantitatem quoad maximum & minimum, *vt in lib. primo* fusius disputatum est, rectè colligitur non posse dari naturaliter actu infinitum. In diuisione etiam continui ex qua numeru causatur. hoc idem manifestum est, qui in tantum potest augeri quousq; creuerit diuisio. illud autē est diuisibile in infinitū, si mathematico more spectetur, non autem simpliciter, &

in

in quantum inhæret Enti naturali finito. Est tamen vtcunq; dabile in rebus infinitum in potentia, tam in quantitate continua, quã discreta, non prout esse in potentia significat omne illud quod reduci potest ad actum completum, sicut æs potest esse statua, & semen animal, puer vir, & huiusmodi, sed quatenus successiuè reducitur, & nunquam completè quoad omnes sui partes simul existit, cuiusmodi in tempore & rerum generationibus infinitas locum habet. successiuum enim vtrumque dicitur, & eorum esse est fieri: partes etiam quæ numeratæ sunt, actu finitæ sunt, quæ autem restant numerandæ, infinitæ; sicut dies modernus est in actu, non quod omnes illius partes simul sint, alioquin existens actualiter pro hoc tempore, existeret pro omni hora & momento diei, sed quia est aliqua pars diei. Neque hic confundenda sunt quę vulgò appellatione Infiniti designantur, vt quod fine ac termino orbatum non est, sed ad illum vt peruenias vix fieri potest, qui modus Oratoribus & Poetis peculiaris est. Inquiunt enim *infiniti laboris fore*, laudes singulas ac præclara facinora Herculis recensere, vel etiam quod ex sua natura terminum habet, sed ad quem propter extrinsecũ impedimentum peruenire nemo queat, sicut est profunditas maris: nisi enim formaliter de re aliqua tractantes loquamur, continget etiam sapientes quandoque decipi, *secundum Philosophum*.

Infinitum in actu non est.

Conclusio. Nõ potest virib naturæ dari in rebus infinitũ in actu. *Probatur.* Nõ potest fieri, vt vllũ corpus naturale existat immobile, sed singula certis & definitis locorũ interuallis mouẽtur, sursum enim erumpũt leuia, deorsum grauia feruntur. Sed posito quod sit infinitum, erit immobile, non enim habet sursum vel aliquid simile, quo se potius transferat, & si quieſcit vbique quieſcet. Ergo statuendũ non est.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Maiorem. Debet esse oppositum, de contrariis positiuis, *concedo,* quia causa naturalis indifferens est ad producendum vnũ vel alterum; de priuatiuis, *nego.* non enim est necesse posito summo bono, dari summum malum, & sic est in proposito.

Ad secundum, Distinguo Anteced. Prodeunt infiniti calores, Ex virtute ignis calefacientis, *nego;* ex applicatione materiæ, quæ nunquam est tota simul in actu, velut Ens successiuum, *concedo.*

Ad tertium, Distinguo Maiorẽ, Quę non reducitur ad actum, simpliciter & absolutè cõpletum, *nego;* secundũ quid, *concedo.* Et ita vnicuique potentia conuenit reduci ad actũ, quo modo illi conuenit habere actum: & quia infinitũ nõ datur in permanentibus sed in successiuis, potentia infiniti reducitur ad actum qui consistit in fieri, nõ tamen ad completum, qui est actu habere partes infinitas.

A R.

ARTICVLVS III.

Vtrum per absolutam Dei potentiam possit fieri infinitum in actu.

VIDETVR quod sic. *Primò.* Non maioris perfectionis est intellectus in Deo, quã voluntas aut potentia, quia sunt vna eademq; res. Sed intellectu agnoscit infinita quæ volũtate vult Ergo eadẽ virtute producet. Conseq. patet, infinitæ enim potentiæ correspondet infinitus effectus.

Secundo. Probabile est Deum potuisse mundũ ab æterno producere, quẽ produxit in tempore. Ergo & infinitũ in actu. *Conseq.* nam hoc supposito posset Deus in quolibet die vnum Angelum aut hominẽ creare, & sicut nunc effluxissent infiniti dies, ita angeli & animæ rationis compotes darentur infinitæ.

Tertio. Quidquid Deus cognoscit extra se per scientiã practicam, illud potest extra se producere (est enim factiua rerum, *iuxta Theologos*) sed infinitum actu cognoscit Deus extra se per scientiam practicam, hoc est, cogitationes animarum futuras per totam æternitatem. Ergo.

Respondeo, Quod non posse virtute ordinaria ipsius Dei multitudinem rerum materialium, vel extensionem actu infinitam existere, est manifestũ. illa etenim dicũtur fieri posse virtute ordinaria quæ secundũ legẽ constitutã in rebus

Ordinaria potentia & absoluta.

rebus à diuina sapientia eueniunt. de absoluta ergo est controuersia, prout abstrahitur ab hoc ordine, & potest omne illud producere, quod possibile est fieri, nec implicat oppositionem Entis & non Entis. Vbi considerandum est, duobus modis repugnare aliquid rei creatæ. Primò inquantum est res, & secundùm propriam rationem generis, speciei, vel indiuidui. Secundò, inquantum est facta, iuxta quem modum creaturam esse à seipsa, & conseruari absque dependentia ab alio perfectiori & nobiliori repugnat, non ex parte rei quatenus est res, sed inquantum est facta. si enim quodlibet creatum ab alio est, implicat quod sit à seipso: cæterum substantiam esse accidens, non inquãtum substantia est facta repugnat, quia sic nullum daretur accidens, sed secundum rationem generis, quia nimirum est Ens per se completum & perfectum, similiter equum hominem esse, & Samuelem iuuenem Caietanum doctissimum, impossibile, ex natura indiuidui, & propter conditiones singularitatis longè diuersas. quod enim est in aliquo genere simpliciter, determinat sibi speciem illius, & vltra hoc est in aliquo indiuiduo, nec potest hunc ordinem Deus inuertere, creando animal in alia serie, quia omne creatum cadit sub certa intentione Dei creantis, & propter aliquem finem est, alioquin temerè & frustra ageretur. Quo admisso rectè colligitur infinitum à Deo produci non posse, non quòd esse

infi-

infinitum, & *esse factum* opponantur adinuicem, sed quia secundum rationem formalissimam natura infiniti actu existentis, est causa implicationis: quod enim actu existit in genere quãtitatis & extensionis, debet esse in certa specie illius, quæ est magnitudo Continui, & multitudo Discreti. omnis autem species magnitudinis & multitudinis est actu per formam finita, & qui constituit infinitum in specie quantitatis, arguit ipsum non esse infinitum, quod implicat.

Conclusio. Non potest per absolutam DEI potentiã dari infinitum in actu. *Probatur.* Auctoritate Philosophi *in textu*, & etiam ex dictis *in Corpore.*

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Conseq. Producet in actu completo, ita vt suam potentiam exhauriat *nego*, secundum quid *concedo*, Sufficienter enim appellatur virtus infinita; quia datis quibuscumque perfectionibus, semper alias & alias produceret, nunquam tamen erit actu infinitum, quia hoc est contra rationem ipsius, nam quod est factum, est à principio, & sicut Deus licet habeat potentiam infinitam, non potest facere aliquid non factum, ita nec poterit aliquid infinitum.

Ad secundum, Nego Conseq. Admisso enim quod Deus produxisset mundum ab æterno, singulis diebus posset vnam creare animam diuisiuè, sed non in omnibus collectiuè, propter terminorum repugnantiam, falsa enim esset

hæc

hæc Propositio, *In quolibet die fecit vnum angelum*: & potest dari aliquando vniuersalis impossibilis, cuius quælibet singularis est possibilis.

Ad tertium, Distinguo Maiorem. Potest extra se producere, eo modo quo cognoscit, *nego*; sed alia ratione, *transeat*, nam si fuerit Ens successiuum, aliter habet esse in diuina cognitione, & aliter in seipso, quia potest simul cognosci in actu à Deo, sed non potest simul existere in actu in seipso, sed in potentia tantum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum infinitum in potentia secundum perfectionem essentialem fieri possit.

VIDETVR quod non. *Primò*. Datur res aliqua in natura, videlicet Materia prima, qua deterior nulla esse potest. Ergo & in mente diuina aliqua alia est, qua nulla præstantior efficietur. Consequ. patet ex ipso gradu Entium à Deo productorum, in quo per descensum deueniendum est ad perfectionem infimam, & per ascensum ad maximam.

Gradus Entium.

Secundò. Perfectiones essentiales rerũ sunt sicut numeri, ita quod Deus sit velut vnitas, & Entia creata multitudo profluens à principio, ꝙ nec ipse Arist. negaret. Sed in numeris non est progressus in infinitũ quando procedimus ad

ad vnitatem. Ergo nec in ſpeciebus poteſt eſſe, procedendo ad Deum. *Minor*: quia vnitas poſtrema definit numerum & terminat.

Tertiò. Multi ex Patribus Eccleſię tenent vniuerſum pulchrius & perfectius non poſſe fieri, quam nunc eſt, ſicut *Gregor. Nazianzen. Auguſtinus*, & *Theodoretus*. Sed pulchritudo eius reſultat ex ſpeciebus variis. Ergo.

Reſpondeo. Quod quia finiti & infiniti ratio ad genus quantitatis pertinet, ideò ſecundũ multiplicem quantitatẽ rei, multiplex infinitas cõſiderari poteſt, quemadmodum in linea & eſt quantitas molis, & perfectionis. nam ſi aliqua daretur infinitæ longitudinis, eſſet infinita ſecundũ rationem extenſiuam lineæ, ſed finita ſecundũ perfectionẽ. diceretur enim accidens quod imperfectius eſt omni ſubſtantia, & ſimile accidit in albedine punctuali & bicubitali. quamuis enim vna excedat alteram extenſiuè, non tamen in perfectione eſſentiali, cum vtrobique ſit eadem definitio lineæ. Conſiderandum eſt ergo, quod ſi nomine perfectionis eſſentialis in prẽſenti intelligamus Entitatem ſiue naturam intrinſecam cuiuſcunque rei creatæ, in eodem indiuiduo & ſpecie, ſicut rationale eſt perfectio hominis, tunc non poteſt fieri in quolibet eorũ aliqua melior perfectio, quam ſit, hoc eſt, per additionem alicuius nouæ Entitatis aut perfectionis, quia iam non eadem maneret eſſentia, quẽadmodũ nec quaternarius fieret in ſua ſpecie perfectior. ſi ei vnitas

tas adderetur, quod .n. vnitas facit à numero, hoc idem perfectio intrinseca in specie, & ita manifesta esset cótradictio Entis & nó Entis vt patet. Accipiédo autē perfectionē in communi, absque hoc quod determinetur ad aliquod indiuiduum aut speciem; dicendum est Deum posse facere species rerum multò perfectiores ijs omnibus quas fecit, vtputa corpus cœleste perfectius, elemēta, animalia, & sic deinceps: licet ex parte dispositionis & ordinis non possit fieri per Dei potentiam alter mundus perfectior, propter decentissimam seriem rebus collatam, in qua bonum vniuersi cōsistit: nam si disponerentur species rerum alio modo, corrumperetur proportio, sicut & in musicis, quando vna chorda plus debito intenditur, harmonia euanescit, & præ languore silet.

Conclusio. Potest Deus quacumque natura specifica aliam meliorem producere in infinitum. *Probatur.* Si qualibet re producta nó posset à Deo produci melior ac perfectior, sequeretur exhauriri diuinam potentiam, certisque rerum limitibus coerceri, quod quid aliud est, quam diuinæ potentiæ infinitatem negare? Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego Conseq. quia perfectio substantiæ crescit per accessum ad diuinam perfectionem, quæ cum sit infinita, nulla creatura eam exactè imitari potest, quin alia exactius possit, ipsius autem materię imperfectio est per recessum à Deo; & conue-

nien-

nienter ſtatus in ea ponitur.

Ad ſecundum, Nego Conſequentiam. ſicut enim numeri ſunt in vnitate velut in radice aliquid vnum, à qua profecti multiplicantur, ita rerum ſpecies in Deo velut in fontali principio omnium perfectionum continentur, extra illum autem in multitudinem abeunt. ſed non eſt ſimilitudo in eo quod argumentū probare nititur, quia vnitas numeralis eſt aliquid in ſe finitum.

Ad tertium, Diſtinguo Maiorem, Tenent non poſſe fieri pulchrius, quoad partes quibus conſtat, *nego*; quoad ordinem & diſpoſitionem partium, *concedo*. neque enim loca elementorum ſine magno incommodo aliter diſpenſari potuerunt. nam aut grauibus leuia ſubijcerentur, aut aliquod Elementum ſupponeretur terræ, quæ ſua opacitate influxus cœleſtes impediret, aut duo ſibi proxima perfecto duarum qualitatum diſſidio pugnarent. *Et hic terminatur liber tertius Phyſicorum, ad laudem Dei glorioſi & honorem Diui Thomæ Præceptoris Angelici.*

IN QVARTVM LIB. ARISTOT. DE PHYSICA AVSCVLTATIONE QVAESTIONES.

SVMMA TEXTVS IN Prima parte.

PRIMA *Conclusio.* Sicut Infinitum, ita & Locus vtrum sit nec ne, & quomodo, Physicum cognoscere necesse est. *Probatur.* Ea quæ sunt, alicubi esse omnes existimant, quod autem nō est nusquam esse, vbi enim est sphinx aut hircocervus? & quia non videtur idem speculantibus quidnam sit ex ijs quæ insunt, dubitatū est ab alijs, vtrū forma locati, vel quippiam simile. Ergo.

Locus quid.

Secunda Conclusio. Locum esse distinctū quid ab ijs quæ continentur, videtur constare. *Probatur.* Vbi aqua nunc est, cùm inde effusa erit, vt ex vase, aer vicissim inerit, & interdū hoc idem spacium aliud quoddam corpus occupat. Amplius: lationes naturalium simpliciūque corporum, vt ignis, terræ, & aliorum huius generis, declarant nedum aliquid esse, sed vim quandam habere, vnumquodque enim non pro-

prohibitum in suum ipsius fertur locum, hoc quidem in supernũ,& illud in infernum. Præterea, qui inane aiunt esse, ij locum aliud quid pronunciant, cùm inane locus sit qui corpore destitutus est. Igitur quod aliquid locus sit præter corpora quorum ipse est, manifestum.

Tertia Conclusio. Cùm autem alius cõmunis dicatur locus, in quo omnia insunt corpora, & proprius similiter in quo primò, vt in cœlo nunc es, quia in aere qui in cœlo, in aere autem quia in terra,& in hac vltimo,quia in hoc spacio quod nihil præter te continet, videtur interuallũ materia & species,sed non est. *Probatur.* Interuallũ magnitudini æquale, locus est. Sed materia interuallum est quod à forma vt termino continetur, nam suopte ingenio id quod est interminatũ, & vagũ appareret, quãobrem & Plato Materiam receptaculum ait in Timæo esse. Quia tamen species atque Materia non seiungitur à re, locũ autem contingit hoc modo, in quo namque aer erat, in hoc rursus aqua, vicissim translatis & aere & aqua, & alijs corporibus similiter, neque pars, neque habitus erit locus, sed tale quid, sicut vas. nihil enim est ipsius rei. Ergo.

Quarta Conclusio. Vt definitio eiusmodi reddatur, ex qua & ea de quibus dubitatur dissoluantur, & quę inesse videntur in Loco ei conueniant,sumendũ est post hæc quot modis

in alio aliud est. *Probatur.* Vno enim modo vt digitus in manu & omninò pars in toto, deinde vt totum in partibus. non enim præter illas est, similiter vt homo in animali, & omnino species in genere, vel vt genus in specie, & omnino pars speciei in speciei ratione; amplius vt calor & frigiditas siue in subiecto accidens, quin etiam vt effectus in mouente vel imperante, sicut res Græcorum in rege sunt, quia primum ipse mouens; adhuc tanquam in bono & fine cuius gratia id quod fit est: omnium verò maximè proprius modus dicitur quo aliquid in alio est, vt in vase & omnium loco. Ergo vt prius. Locus igitur immediatè & secũdum se, nec cuiusquam alterius rei causa rem locatam continet, & quia ipsum res deserunt, non est alicuius pars, quemadmodum forma aut materia; æqualis est rei quam extrinsecus attingit. quæ verò ita se habent, eorum extrema simul sunt, & eandem dimensionem obtinent, vnde & immobilis existit, alioquin corpus esset naturale, nam præter naturalia nihil mouetur, hæc enim tantum natura prædita sunt, quæ principium motus esse statuitur. Liquidum ergo est quidnam locus sit, nimirum extremum continentis immobilis primò.

Esse in loco diuersimodè dicitur.

Quinta Conclusio. Contingit rem aliquam in loco esse non eodem modo. *Probatur.* Aut enim absolutè aliquid est, extra quod aliud corpus est quod ipsum continet, aut secun-

dum

dum quid, extra quod nullum est, si enim fuerit Vniuersum, partes quidem eius moueri possibile, quia inuicem continentur quodammodo tanquam loca in potentia, totum autem ipsum quodammodo mouebitur, & quodammodo non. nam cum non mutet locum, poterit in circulum, vna parte in locum alterius succedente, rectè autem, hoc est sursum vel deorsum nequaquam, quia totum non mouebitur. Aut potestate, vt partes continui, quæ ita in eo sunt, vt ab illo diuisæ non sint, diuidi tamen possint; aut actu, vt eædem cùm à se mutuò diuulsæ fuerint, ita vt vna alteram tangat, & vt modum acerui contineat. Aut per se, quæ ratione sui in loco sunt, & talis arbor est, & Socrates: aut ex accidente, quod est in eo quod in loco per se est, vt animus in corpore. Ergo rem in loco esse contingit non eodem modo. *Hæc in prima parte libri docentur.*

QVÆSTIO XVI.

In qua natura & affectiones Loci explicantur.

ARTICVLVS I.

Vtrum locus sit superficies.

VIDETVR quod non. *Primò.* Stat aliquid in loco esse absque omni superficie, & viceuersa habere superficiem absque hoc quod

sit in loco, Ergo non est superficies. Antecedens patet in Angelo habente locum, & non superficiem, cum sit expers materiæ, & in lapide à quo per miraculum ablata est quantitas, non enim potest negari ipsum alicubi esse.

Secundo. Illa quæ differunt specie sub aliquo genere, non definient se mutuò, sicut homo & equus. Sed locus & superficies sunt species diuersæ eiusdem generis subalterni, continentur enim sub quantitate Continua, Ergo.

Tertiò. Lapis in aere suspensus, etiamsi in flatu venti assiduè moueatur, eundem habet locum, & non eandem superficiem. Idem apparet ex stipite arboris fixæ subtus aquam, quę diuersas superficies aquæ circumstantis induit, absque diuersitate locorum, nec minus quam Lublinum aut Colonia in eodem est loco. Ergo.

Respondeo, Quod hactenus in superiori libro de proprietatibus intrinsecis quæ conueniunt Enti mobili à principio interno, vt de Motu & Infinito disseruit Aristoteles, istà enim duo rei naturali cuius sunt proprietates hærent, quibus luculenter explicatis, in hoc quarto Opusculo aggreditur passiones extrinsecas, quæ sunt *Locus*, *Vacuum & Tempus*, quæ non inhærent rei mensuratæ, sed alicui extrinseco. nam Locus in locante est non in locato, & Tempus in solo motu supremi cœli. Vt autem præsentem Controuersiam commodius explicemus, obseruanda est in quolibet corpore con-

Extrinsecæ passiones Entis.

continente aliud corpus superficies duplex, vna intrinseca, & altera extrinseca, vt est videre in vase pleno aqua, continet enim ipsum per superficiem concauam & interiorem, non autem conuexam quæ deforis manet, quod etiam de aere ambiente hominem est sentiendum. Et licet vtriusque sit eadem definitio, vtputa longitudinem esse cum latitudine cuius extrema sunt lineæ, differunt tamen per accidens, quia in alio situ est conuexa & in alio concaua, nec figura vtriusque est eadem. Ipsa verò inquantum locus est, dum includit essentialiter, sicut quodlibet aliud concretum accidentale, vnum pro materiali, & huiusmodi est superficies, aliud pro formali nimirum continentiam & circumscriptionem locati, ad eum planè modum quo album, corpus includit & albedinem. Superficies ergo subiectum est, ad rationem formalem loci non generis, & ipsa continentia immobilis locati est forma, vtrunque tamen in suo ordine & gradu intrinsecè concurrit ad integrandam loci naturalis essentiam, prout ipse Philosophus in textu declarat hoc modo: *Est vltima superficies corporis continentis immobilis.* Ponenda enim erat ratio loci in superficie, tanquam in eo quod continet & circumscribit, cui conueniunt proprietates loci non secundum se, sed inquantum continet & mensurat locatum. Iam enim ostensum est in Logicis, nonnisi reductiuè ad genus Quantitatis LOCVM spectare, *Loci definitio.*

hoc est ratione mensuræ & continentiæ, nō autem ratione extensionis, vt pater.

Conclusio. Locus naturalis est vera superficies. *Probatur*. Secūdum ea quæ de natura loci admittuntur ab omnibus, nō potest locus esse nisi vnum ex his quatuor, nempe forma, aut materia corporis, spatium inter latera continentis inclusum, vel vltima superficies tangens locatum. sed non est aliquod ex tribus, vt omnes concedere videntur, nisi velint Aristot negare, Ergo erit quartum.

Ad primum igitur dicendum, Nego Anteced. Angelus autem non existit in loco circumscriptiuè, sed definitiuè, ita enim est hic, vbi operatur, quod nō alibi; & si à corpore separetur quātitas, nullibi erit tanquā in loco, velut Ens inextensum & indiuisibile.

Ad secundum, Distinguo Minorem. Locus & superficies sunt species diuersæ, in ratione mēsuræ concedo, in ratione extensionis nego.

Ad tertium, Distinguo Anteced. Non habet eādem superficiem, pro materiali & inquātum est Ens, concedo, formaliter & inquantū continet nego. Vnitas enim vel pluralitas locorū, non est desumenda ex vnitate vel pluralitate superficierum vt superficies sunt, sed vt habēt certam distantiā & situm: in quo sensu possunt aliæ aliis succedere, absque hoc quod multiplicetur locus, quia omnes retinent eandem distantiam respectu locati. Sed de hoc

infra.

AR-

ARTICVLVS II.

Vtrum Locus sit per se immobilis.

VIDETVR quod non. *Primo.* Locus idem est quod superficies vltima continentis. Sed ista est mobilis. Ergo & locus. *Minor*, nam sicut esse incipit cum corpore locante, ita moueri eam necesse est ad motum corporis. quomodo enim negari potest superficiem aeris continentis Cracouiam esse eandem nunc quę fuit ante aliquot annos?

Secundò. Si locus esset quid immobile, sequeretur, quod ipsius cõsideratio nõ spectaret ad Physicum, sed hoc est contra Arist. manifestè, vt dicebatur in textu. Ergo & primum. Sequela patet, quia nulla scientia considerat id cui ratio formalis sui Obiecti non conuenit.

Tertiò. Omne compositum ex materia & forma physica, debet esse mobile, vtpote in quo sunt principia motus & quietis. Sed locus est huiusmodi: non enim abstrahit à subiecto, vt ex illius definitione colligitur. Ergo.

Respondeo, Quod Locus connotat duas relationes, vnam continentiæ respectu locati, & alteram distantiæ à Centro & polis mundi. si enim nihil aliud diceret quam superficiem circumstantem, benè staret aliquid moueri localiter, non mutando locum, quod enim mouetur, necessariò locum relinquit, non potest

Locus cõnotat duas relationes

autem ipsum relinquere si locus vnà cum mobili feratur, sicut vas defert rem mobilem cõtinendo ipsam & mutando locum. Vnde autem hæc immobilitas desumatur non est idem consensus inter Scholasticos, sed omissa longiori disputatione, quid sentiendum videatur iuxta mentem Præceptoris Angelici, paucis aperiam. Sciendum est ergo, quod sicut nauis ligata in flumine per anchoram, si comparetur ad partes aquæ continuò fluentis, potest dici existens in alio & alio loco materialiter, quasi in alio vase, cæterùm si comparetur ad totum fluuium, in eodem loco est, quia licet diuersæ partes aquę subterfluant, tamen illa semper retinet eundem ordinẽ ad totum fluuium, hoc est eundem situm & dispositionem. Quod autem dicimus de naui posita in flumine, hoc idem applicari debet ad res locatas in vniuerso, licet enim quælibet pars vniuersi sit mobilis, vt est videre in partibus Elemẽtorum & orbium cœlestiũ, nihilominus totum Vniuersum non mutat locum, sed est penitus immobile, vnde & locus sursum est immobilis, quia concauum orbis lunæ semper est in eadem distantia ad Centrum, & locus deorsum similiter, eandem obtinet distantiam centri ad concauum lunę: & vniuersaliter loquẽdo, cuiuslibet rei naturalis est locus immobilis, ex eo quia habet certã distantiã ad partes mundi, ad polos & centrũ terrę, hoc est respectũ secundum dici, locus enim est superficies con-

continens cum tali respectu, in quo completur ratio ipsius. Nec mihi obijcias, quod ista relatio distantiæ quæ est in superficie continente velut accidens in subiecto, moueatur nonnunquam ad motũ superficiei, vt apparet in vento qui flat circa turrim, & diuersis superficiebus illã contingit: licet enim prædicti respectus mutentur in indiuiduo ob mutationem subiectorũ, non tamen in specie, quia omnes sunt ad eundẽ terminum, hoc est ad centrũ & polos, & consequenter talis habitudo quæ est vna specie, non est mobilis ad motum subiectorum, sicut nec essentię rerum corruptibiles sunt ad corruptionem indiuiduorum. Estque simile aptissimũ ad demonstrandã huius rei veritatẽ, in relatione patris, ad cuius vnitatem numeralem sufficit, vt plures filij habeant eundem ordinem specie ad patrem, id est filiationem, ex parte verò patris est tantùm paternitas vna numero, quia vnũ fundamentum & subiectum, sicut in proposito, ex parte cœli semper est eadẽ distantia secundum numerum.

Conclusio. Locus naturalis per se & essentialiter immobilis est. *Probatur.* Locus est terminus exterior in motu locali. Sed termini est immobilem manere. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorẽ. Est mobilis præcisè & entitatiuè considerata, *concedo,* quãuis hoc illi nonnisi per accidens conueniat: cùm respectu distãtiæ, *nego.*

Ad

Ad secundum. Nego sequelam, licet enim locus sit immobilis, à Physico tamen considerari debet, quia est terminus exterior in motu corporum naturalium.

Ad tertium. Distinguo Conseq. Mouetur per se in quantum Ens est, *transeat*; cum respectu distantiæ, *nego*, vt explicatum est.

ARTICVLVS IV.

Vtrum locus debeat esse æqualis locato.

VIDETVR quod non. *Primò.* AEqualitas est duarum rerum eadem quantitas & extensio, sed locus maiorem sibi determinat extensionem quam locatum, Ergo non est illi æqualis. Minor patet, quia continet omnem extensionem locati, nec possum ego facilè cõcipere, quo pacto crusta auellanæ contineat intra se auellanam, quin sit secundum aliquam dimensionem maior auellana, & sic de aliis.

Secundo. Omne locatum physicè est corpus habens trinam dimensionem. Sed locus est sola superficies extensa in longitudinem & latitudinem tantùm. Ergo vt prius.

Tertio. Si nullus est locus sine locato, nec locatum sine loco, sed semper sunt æqualia, sequeretur quod dum res aliqua augetur, vt arbor, necessariò locus eius augeretur. Sed hoc est contra Philosophos. Ergo.

Respon-

Respondeo, Quod de loco impropriè sumpto non quærimus in præsenti, siue accipiatur pro omni eo circa quod est operatio alicuius agẽtis, quo pacto cœlum est locus Dei, quia ibi maximè operatur influendo in hæc inferiora; & corpus humanũ est locus animæ rationalis, vtpote in quo manifestantur illius actiones, aqua etiam est locus piscium, & aer animalium; siue pro termino ad quem ordinatur motus alicuius rei, in quo sensu terra est locus grauium, & centrum ipsius cœli, quia circa illud assiduè voluitur in orbem. Locus autem in propria consideratione duplex est: Communis, qui ita locatum continet vt alia præter ipsum contineat, sicuti est cœlum & aer respectu omnium nostrum: & proprius, qui nihil aliud præter locatum continet. Quæ diuisio habuit ortum ex eo, quia continens habet rationem determinantis & finientis, contentum verò rationem terminati & finiti: corpus ergo continens naturaliter aliud corpus, plus quodammodo habet de ratione formæ quam contentũ, quia formæ est determinare & finire, sicut materiæ determinari. quãtò autem aliquod corpus naturali ordine est superius loco, tanto magis ad inferiora comparatur sicut continens ad contenta, continens formalius & actualius, vnumquodque enim agit per suam formam, & huiusmodi est cœlum, in quo virtus vniuersalis residet ad mouendum & disponendum inferiora, quæ etiam

Loci acceptio multiplex.

etiam suo ambitu continet velut generalis locus ipsorũ. Manifestum est autem, quod hic locus non est æqualis alicui locato, sed omnibus longè maior, benè tamen proprius æqualis est, nam secundum dimensionem, quæ est longitudo, latitudo, & profunditas. sic enim cum locus sit ipsum receptiuum locati, penetraret se cum illo, quod naturaliter esse non potest, sed secundum continentiam, quia superficies concaua continentis, & superficies conuexa locati sunt contiguæ secundum omnes partes, & ita coextenduntur simul & commensurantur adinuicem, si enim vnum filum circumducas ad conuexum locati, vtputa hominis, & aliud ad concauitatem loci quæ est superficies aeris me circũstantis, illa duo fila erunt æqualia secundum longitudinem & latitudinẽ, non quod demonstrent corpus continens esse æquale contento secundum superficiem conuexam, sed quia terminus continentis est æqualis termino contenti secundum superficiem concauam. Et ex hoc breui fundamento, variæ Scholasticorum obiectiones explicantur & absoluuntur.

Locus æqualis locato.

Conclusio. Locus proprius est æqualis locato secundum continentiam. *Probatur.* Non est maior nec minor locato. Ergo æqualis.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem. Locus maiorem sibi determinat extensionem, si sumatur pro corpore continente, *concedo*; pro superficie vltima continentis, *nego.*

Volo

Volo enim te scire, quod hæc duo maximè inter se discrepant, continere aliud, & esse extremum continentis. corpora enim mutuò se continent, stando in propria vocis significatione, & vnum est maius altero, non autem superficies, vt patet.

Ad secundum, Distinguo Conseq. De æqualitare dimensionis, *concedo*, continentiæ *nego*, vt dictum est.

Ad tertium, Nego sequelam Maioris. nam cum locus sit superficies, quando arbor augetur, acquirit maiorem superficiem continentis, non quod hæc augeatur propriè, sicut arbor crescit ab intrinseco, sed quia accumulatur noua superficies præcedenti. *Sed de hac Quæstione satis.*

QVAESTIO XVII.

In qua ostenditur quomodo res quæcumque in loco sit.

ARTICVLVS I.

Vtrum substantiæ incorporeæ existant in loco.

VIDETVR quod non. *Primò.* Esse in loco dicit aliquam rationem formalem intrinsecam, sicut ego non possum formaliter in loco esse ob quantitatem quæ est in alio subiecto. Sed angeli non habent aliquam rationem formalem intrinsecam per quam sint in loco, Ergo hoc non est asserendũ. Minor est ad placitum Theologorũ, apud quos ratio existẽdi angelo in loco

Esse in loco quid.

in loco, est operatio transiens, quæ non est in angelo, vt patet.

Secundò. Etiamsi angelus operetur aliquid quod subiacet tempori, non tamen exinde dicitur esse in tempore. Ergo licet operetur aliquid quod habet esse in loco corporeo, ipse non erit in loco. Conseq. ex paritate rationis deducitur, sicut enim se habet tempus ad rem temporalem quam mensurat, ita locus ad locatum quod continet.

Tertiò. Omne continens debet esse formalius & actualius contento, vt superius explicauimus. sed nihil potest esse formalius substantia immateriali, cùm sit forma simplex. Ergo non potest aliquid esse locus ipsius.

Substãtia incorporea an in loco.

Respondeo, Quod de substantia incorporea secundũ vltimum gradũ immaterialitatis non quærimus, an sit in aliquo loco, sicut est Deus gloriosus, quia manifestum est Deum esse vbique totum, & vbique operari. causa enim efficiens est simul cum suo effectu proximo & immediato, in qualibet autem re est aliquis effectus soli Deo conueniens, & in rebus quidem corporalibus materia prima, in illis autem quæ sunt incorporeæ, simplex essentia, neque est imaginabile tertium quid in vniuerso præter Ens corporeum & incorporeum, quibus exhauritur tota perfectio substantiæ, *vt docetur in Logicis.* Cùm itaque de substantijs creatis currat Difficultas, cuiusmodi sunt angeli, animæ rationales, & si quæ sunt alia, no-

tan-

tandum est breuiter, duobus modis aliquid esse in loco, scilicet *definitiuè*, & *circumscriptiuè*. Illud est *definitiuè in loco*, quod sic determinatè alicubi est, vt extra illum locum non sit aliquid eius, tamen absque vlla cõmensuratione quantitatiua, quia nec partes loci correspondent partibus locati, nec totus locus toti locato, sed modo quodam indiuisibili est totum in toto. *Circumscriptiuè* autem illud est, quod nullibi extra locum inuenitur, & vltra hoc commensuratur suo loco, quia nimirum est totum in toto loco, & pars illius in parte loci. v. g. hæc Cathedra est in hoc loco circumscriptiuè, quia per totã superficiem aeris continentis, mensuratur tota superficies Cathedræ, & per diuersas partes superficierum quæ in aere sunt, diuersæ partes Cathedræ. Hoc modo non sunt substantiæ spirituales in loco, quia deest illis quantitas & extensio partium: sed tantum definitiuè. ibi enim solum existunt realiter tanquam in loco, vbi operantur, & locus respectu illarum, non est aliquod spacium imaginariũ, sed verum corpus in quod agunt. per continentiã enim actiuam locantur & non passiuam, magisque cõtinent locũ operando circa illum, quam ab eo contineantur. Accipe exemplum in angelo introducente Loth in domum suã, vel cubiculũ aliquod illuminante, sicut de facto illuminauit nuncius ad sacrosanctam Virginem destinatus. Quod autẽ hic dicitur de substantiis

angelicis, idem est intelligendum de animabus
Anima vt in corpore separatis, solùm enim definiuntur ad loca, sed illis non commensurantur; si quæ autem anima est corpori cõiuncta, definitiuè est in toto corpore velut in loco suæ operationis, sed nõ in partibus, ita enim est in pede quòd etiam sit in capite, nec ad motum solius pedis mouetur per accidens, sicut ad motum totius corporis. Excipio tamen Corpus Christi, quod non est in loco secundum illud esse sacramentale quod habet in Eucharistia, quia nec à speciebus Sacramenti circumscribitur, nec ad locum ipsius definitur, potest enim sub alijs & infinitis speciebus existere si consecrarentur, in solo autem cœli fastigio est definitiuè, quia illo modo repugnat tale corpus esse in alio loco.

Conclusio. Substantiæ incorporeæ quæcunq; sint illæ, existunt in loco. *Probatur.* Certum est lumine naturali quod nihil potest moueri localiter, nisi existat in loco. Sed substantiæ spirituales mouentur localiter. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorem. Licet enim operatio formaliter transiens non sit in agente, est tamen in illo operatio quæ formaliter est immanens & terminatiuè transiens, præcipuè si aliquid operetur ad extra, vt est videre in operatione Dei, & imaginatione hominis, quæ nonnunquam efficit motum pedis, vel barbæ fricationẽ. Angelorum autẽ operationes sunt actus volũtatis aut intellectus, & ideò habẽt rationẽ intrinsecam, per quã sunt in loco.

Ad

Ad secundum, Nego Conseq. est enim maximum discrimen, quia contactus loci per operationem, sufficit ad essendum in loco, sed ad essendum in tempore, requiritur quod in se habeat prius & posterius, & dependeat à motu cœli: & quoniam Angelis conuenit primum absque secundo, ideò sunt in loco, sed non in tempore.

Ad tertium, Distinguo Conseq. Per continentiam actiuam, *concedo*; passiuam, *nego*, vt dictum est.

ARTICVLVS II.

Vtrum supremum cœlum existat in loco ratione partium.

VIDETVR quod non. *Primò.* Partes in quolibet continuo existunt per esse totius, & non è conuerso, vt antea probauimus, Ergo etiam quælibet pars supremi cœli habet esse à composito cœlesti, & non viceuersa. Ergo illud cœlum non est in loco ratione partiũ. *An Cœlum in loco.*

Secundò. Nobilissimo corpori debetur perfectior modus essendi in loco. Sed talis est contineri actu secundum se totum, Ergo conuenit primo mobili.

Tertiò. Supremum Cœlum mouetur per se & non per accidens. Ergo etiam est in loco per se & non ratione partium. *Conseq.* nam quopacto aliquid se habet ad motum localem, ita ad esse in loco, cum non possit vnum existere absque altero, nam moueri præsupponit esse.

Octo sphæræ cœlestes.

Respondeo, Quod in via Aristotelis octo sunt sphęræ cœlestes, videlicet *septem Planetæ & primum mobile*, quod suo motu in spacio viginti quatuor horarum rapit alios orbes qui infra illud sunt ab Oriente in Occidentem, & quãuis proprij motus singulorum tardiores sint, cogit tamen eos motũ in eãdem mensura tẽporis percurrere, quorũ orbium primus continetur sub secundo, & hic sub tertio, & ita procedendo vsque ad vltimum. Doctores tamen Ecclesiæ adhuc supra primum mobile Aristotelicum, ponunt *cœlum fixum*, quod secundum rei veritatem continet sub se primũ mobile tãquam locus illius, estque omninò immobile, claritate maxima præditum, velut sedes & domiciliũ beatorum, in quo Deus reuelat se beatis soluto omni ænigmate, & sui visione in quadam deiformitate eos constituit. Et si ita credidisset Aristoteles, nihil fuisset anxius de loco primæ sphęræ. Cæterùm quia in opinione illius mouetur localiter, & motus nequit intelligi sine mutatione loci totius aut partium, idcirco maior est ex hac parte ratio dubitandi, an illud cœlum sit in loco & quomodo. Vbi pro intelligentia opinionis Thomistarũ notandũ est discrimen inter corpus mobile motu recto, & aliud mobile motu sphęrico vel circulari. Licet enim vtrumque istorũ mutet locum, non tamen eodem modo, quia mobile motu recto recedit secũdum se totum, & secundum partes à priori loco, & nouum acquirit,

vt

vt patet in homine perambulante ſpacium vnius leucæ quod eſt inter Athenas & Thebas: mobile autẽ ſphæricè, non recedit à primo loco, ſed in eodem permanet. Vel ſi ita loqui expedit, motus rectus eſt à centro ad mediũ quo mouentur leuia, vel à medio ad centrum quo grauia deſcendũt, ſed circularis nõ eſt de vno loco ad alterum, ſed quædam reuolutio circa centrum & locũ. Quo fit, vt mobile motu recto poſſulet corpus in loco eſſe, quia ad acquirendam præſentiam localem mouetur, ad ſecundum tamen mobile hoc eſt impertinens, ſed nonniſi ratione partiũ mouetur, quarũ vna ſuccedit in locum alterius, vt pars in Oriente modò exiſtens, voluetur poſtea in Occidentem, & ſic deinceps. Quia tamen huiuſmodi partes ſunt in continuo indiuiſę actu, dicuntur eſſe in potentia in loco, ita quod ſi diuiderentur à ſe inuicem, vna contineret alteram in actu per ſuperficiem concauam. non enim repugnat vltimæ ſphæræ diuidi in partes in quantum eſt de genere Continuorum, quãuis repugnet in quantum eſt cõpoſitum tale, via enim quædam eſt ad corruptionem diuiſio. Noui alios modos loquendi circa hoc Dubium quibus vtuntur Scholaſtici recentiores, ſed ſufficiet tibi tirũculo plana Doctoris Angelici reſolutio, à qua ne lato quidem pede, vt aiũt, diſceſſi.

Mobile ſphæricè in eodẽ loco permanet

Concluſio. Supremum cœlũ nonniſi per accidens, & ratione partium exiſtit in loco. *Probatur.*

batur, ex verbis Philosophi *in textu 45.* cùm ait: *Cœlum non est alicubi totum, neque vllo in loco est, siquidem nullum corpus ipsum continet.* quo autem mouetur hoc etiam locus est partibus, altera enim partium alteri adhærens est. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego Consequentiam vltimam, licet enim partes supremi cœli habeant esse substantiale & absolutum à forma totius, nō tamen repugnat, quod etiam totum cœlum habeat esse in loco per accidens ratione partium, quia congruè dicitur Aethiops albus secundum dentes.

Ad secundum, Nego Minorem, imò esse in loco actu dicit imperfectionem, puta cōtineri ab alio, & melius esset primo mobili vt à nullo contineatur, sed vt omnia contineat.

Ad tertium, Nego Consequentiam, quia licet per se moueatur, nihilominus non mutat locum, nisi ratione partium, vt explicatum est.

ARTICVLVS III.

Vtrum singula Elementa proprium sibi locum vendicent.

Loca Elemētorum

VIDETVR quod non. *Primo de Terra.* Locus naturalis cuiusq; rei ille est, ad quem res mouetur sublato omni impedimento, vt in eo quiescat. sed terra nō mouetur ad superficiem concauam aquę, sed ad centrū suū, Ergo potius centrum est locus terræ, quam aliquid aliud.

Se-

Secundò de aqua. Superficies concaua aeris non solùm intra se aquam continet, sed etiam terram, & mixta quam plurima, vt homines & arbores, sed locus debet esse æqualis locato vt dictum est, Ergo signari non potest locus aquæ proprius.

Tertiò de aere. Locus debet esse conseruatiuus sui locati. Sed ignis corrumpit aerem tanquam sibi Elementum contrarium, qui humidus est & calidus, ignis verò siccus. Ergo vt prius. Simile argumentũ fieri potest de igne, cui concauum lunę assignatur pro loco, verè frigidum & igni contrarium.

Respondeo, Quod sicut Deus omnia in pondere & mensura constituit, ita & ordine pulcherrimo eadem disposuit. secundum enim gradum perfectionis naturalis, vnaquæque res suum locum sortitur, vt superior sit locus conseruatiuus inferioris, & habeat se per modum cuiusdam formæ, quæ perficiendo materiam dat illi esse. Et hoc maximè in Elementis apparet. nam quia Terra est corpus infimę dignitatis plus habens de materia, grauitas autem ex abundantia materiæ profluit, sicut leuitas ex paucitate, in infima regione totius Vniuersi resedit, habens supra se Elementum aquæ, à cuius superficie concaua tanquam à loco circumscribitur. Si tamen de hac terra loquamur quam incolimus, necessariò tenendum est, illam in aere esse, discooperta est enim aquis propter

conseruationem mixtorum, quæ sunt arbores, & animalia respiratione viuentia, cùm non possint aliter conseruari, vt patet. Erit ergo locus ipsius quodãmodo diuisus in superficiẽ concauam aquæ, & superficiem concauã aeris, quæ licet sint duæ res in genere Quantitatis, tamen propter certam distantiam & ordinem ad primum locãs, censentur vnus numero locus. Deinde aqua proximè continetur à superficie aeris, cum sit minus rudis & crassa, aer verò ab igne, & ignis à concauo lunæ. mouẽtur enim hæc singula ad aliquid aliud, vt ibi quiescant naturaliter, nec recedunt nisi per violentiam. Quòd autem terra non ascendat motu naturali ad superficiem aquæ, nec aqua ad superficiem aeris, sicut ferrum mouetur ad magnetem vbicunque fuerit, exinde prouenit, quia prædictæ superficies nõ secundum se cõtinent & conseruant elementa inferiora, sed vt habent certam distantiam ad polos & centrum: imò si secundùm se considerentur, est aliqua qualitas in corpore locante, contraria corpori locato, per quam agit alterando ipsum & quasi coercendo, ne vltra situm naturalem & distantiam erumpat. Expliço hoc clarius. Aqua enim ex natura est aliquid frigidum & humidum, & terra quæ ab ea continetur frigida & sicca, aer humidus & calidus prout aquã continet, sed ignis calidus & siccus à quo circumscribitur aer, & ita quodlibet corpus locans symbolizat in vna qualitate cum corpore lo-

Locus terræ.

locato, qua velut brachijs illud complectitur, sed in altera repugnat, coercendo locatum.

Conclusio. Quodlibet elementum determinat sibi aliquem locum naturalem à quo continetur. *Probatur.* Quem ordinem corpora simplicia seruant in nobilitate, seruant in loco, sed terra est ignobilior aqua (nam materia illius est) aqua aere velut potentia actu ex qua interdum generatur, & aer igne. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorem. Posita enim terra extra suum locum natiuum, mouetur ad superficiem aquæ per descensum. quod autem assiduò conetur ad Centrum propius accedere, non ex eo prouenit, quasi illud sit ratio locandi vel conseruandi, sed quia ibi cœlestem influxum naturæ suę cõformem facilius recipit.

Ad secundum, Distinguo Maiorem. Superficies aeris continet terram, in quantum est purum Elementum, *nego*; quam incolimus & cernimus, *concedo*, vt dictum est.

Ad tertium, Distinguo Maiorem. Locus debet esse conseruatiuus locati, absolutè & secundum se, *nego*; in certa distantia, *concedo*; non enim locus aeris terminatur ad concauum ignis ex eo solùm quia ibi est ignis, sed propter distantiam à centro, & sic de alijs. Vnde ignis in sua sphæra proximum aerem corrumpit ad certam distantiam, sicut terra propè aquam humidior est, non tamen est huiusmodi contrarietas inter lunam & ignem,

sicut inter ignem & aerem, quod si ex humiditate alterat ignem, hoc facit similiter in aliqua distantia.

ARTICVLVS IV.

Vtrum duo corpora possint esse simul in eodem loco.

VIDETVR quod non. *Primò.* Sicut se habent distincta corpora ad distincta loca, ita diuersæ partes corporis ad diuersas partes loci. Sed impossibile est quod partes alicuius corporis sint in eodem loco. Ergo multò magis diuersa corpora. *Minor.* Alioquin maximũ corpus posset in minimo loco contineri, & totus homo reduci ad locum digiti, quod est esse & non esse maximum.

Secundò. De ratione quantitatis est extensio partium, quod est habere vnam partem extra aliam, vt determinauimus in Logicis. Ergo contra illius naturam est, vt omnes partes existant in eodem loco. *Conseq.* Nam quomodo hæc possunt coincidere, quòd aliquid habeat vnam partem extra aliam, & quòd omnes eundem occupent locum?

Tertio Facta hac hypothesi, quod duo corpora essent in eodem loco, interrogo, aut ibi manent principia essentialia istorum corporum vt sunt in eodem loco distincta, vel omnino perèunt. Si primum, non solus Deus ea con-

conseruàt, quia concurrentibus causis secundis hoc facit, si secundum, iam illa non conseruat simul in esse, quia rem existere sine principijs essentialibus est impossibile. Ergo.

Respondeo. Quod situs duobus modis accipitur, primò vt est prædicamentum per se, & dicitur alio nomine, positio partium in loco, siue ordo partium corporis locati ad diuersas partes loci, deinde vt est differentia quantitatis, & significat ordinem partium in toto, non quidem quod vna sit extra aliam secundum locum, sed quod vna sit post aliam secundum extensionem realiter distincta; & in hoc sensu ponitur extensio partium pro ratione formali quantitatis. illa enim quæ est in ordine ad locum, est quidam effectus secundarius, quia nulla pars corporis physici potest sibi naturaliter determinare certam positionem in loco, nisi prius eandem habeat ab aliis partibus distinctam in toto. Pono super hoc exemplum. Quia enim totus homo habet quantitatem, efficit hoc primum in illo, vt caput sit extra manus, & pedes extra brachia, cùm non ita caput extendatur in homine sicut pes, & iste effectus est primarius respectu quantitatis. Vltra hoc autem ordinat diuersas partes eiusdem corporis ad diuersas partes loci. nam postquam caput aliam habet extensionem in homine ab extensione pedis, merito aliũ locũ sibi vendicat, sed hic effectus nõnisi secũdario quãtitati

Situs duobus modis considerãtur.

con-

conuenit, Licet autem nullus istorum effectuum possit impediri per causas naturales ne profluat à quantitate, nihilominus virtute diuina potest effectus secundarius separari, vel vt formalius loquar, suspendi: ad eum planè modum, vt res quantæ habeant diuersas extensiones partium in toto, sed non diuersas in loco, & quod vna pars non sit alia secundum extensionem, sed tamen alia secundum locum, & consequenter potest Deus facere, vt duo corpora distinguantur inter se in ratione coporeitatũ & physicè, sed non in ratione situs localis & mathematicè, habebuntq; duas quantitates cum primarijs illarum effectibus, duo subiecta quibus adhærent, duas essentias totales, & duo esse. sicut enim non potest fieri album sine albedine, ita nec corpus in se extensum, sine effectu primario quantitatis, & sic deinceps. Non igitur rationabilis est quorundam opposita sententia, quæ in ferro candenti corpus ignis admittit esse, in pane madefacto substantiam vini, in vase pleno cinericus corpus aquæ quasi cineres ipsos penetrans, & in eodem situ cum illis existens. Insuper si cyathus aqua plenus vsque ad labia nummos aureos excipit absque vlla effusione aquæ, videtur illis duo corpora eodem situ circumscribere, sed reuera non circumscribit, quia & ferrum calorem tantùm ignis recipit, & panis intra meatus vinum, cineres autem ipsam aquam in vaporem resoluunt, & siccitas labiorum

orum cyathi effusionem aquæ cohibet, vt ab experientia potest comprobari.

Conclusio. Virtute diuina possunt duo corpora in eodem loco existere. *Probatur.* Dogma fidei est Verbum Dei in natiuitate egressum fuisse ex vtero Virginis clausi, clauso sepulchro surrexisse ex mortuis, clausis etiam ianuis ad discipulos intrasse, cœlos indiuisos per ascensum penetrasse. Ergo. *Duo corpora an fiemul in eodem loco.*

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorem. nam sicut duo corpora omnino distincta possunt ab eodem loco comprehendi, ita & partes eiusdem corporis, potestque corpus maximum per subintrationem partium ad minimam extensionem reduci, ita planè vt etiam camelus transeat per foramen acus, hoc enim quid impedit?

Ad secundum, Distinguo Anteced. De ratione quantitatis est extensio partium, *in loco, nego*; in composito, *concedo*: & talis adhuc esset si poneretur corpus aliquod extra Vniuersum, non autem prima, vt patet.

Ad tertium, Dico quòd manent ibi principia essentialia & physica, cum hoc tamen discrimine, quia prius causabant distinctionem corporum in diuersis sitibus & locis naturaliter, quã nunc in eodem loco Deo concurrente efficiunt; hoc est, physice & non aliter, vt dictum est.

AR-

ARTICVLVS V.

Vtrum idem numero corpus possit esse simul in pluribus locis per Dei potentiam.

VIDETVR quod sic. *Primò.* Vbicunque Deus potest facere substantiam naturalē non sub suo modo naturali, vel sub modo sibi opposito, potest eundem facere sub modo naturali. Sed Deus facit Corpus Christi sacramentaliter, id est nō sub modo suo naturali in diuersis locis existere. Ergo potest dimensiue & localiter.

Secundò. Non minori necessitate multitudo corporū multitudinem locorum, quam vnitas corporis, loci vnitatem exigit. sed possunt duo corpora virtute Dei in eodem loco existere, vt superius ostensum est. Ergò & idem corpus in pluribus locis.

Tertio. Posset Christus si vellet, sub diuini sacramenti specie latens, manum suam alicui videndam exhibere, vel totum corpus, aut in diuersis hostijs digitum, in quo casu circumscriberetur duobus locis, puta in hostia & in cœlo. Simile quid legitur de S. Ambrosio, qui dum Mediolani diuino sacrificio assisteret, simul se Turone exeqjs D. Martini interfuisse testatus est. Imò & Magister Bzouius in Tutelari Silesiæ, profert illud memorabile de S. Adalberto totius regni Polonię Patrono, qui dū sacris corā Benedicto VII. & amplissimo purpuratorū con-

Miraculum S. Adalberti.

confessu operaretur, raptus in extasim, visus est circumstantibus dormire, tandem excitus, respondit se in templo Libicensi, quod est in Boemiæ meditullio pignora fratrum condidisse, & ibidem chirothecam in altari sacrosanctæ Deiparæ ob festinationem reliquisse. Ergo.

Respondeo. Quod duobus modis est aliquid secundum se totum in alio, nimirum essentialiter & extrinsece. Discrimen vtriusque cõsistit in hoc, quia res quæ est alicubi tota secundum essentiam, potest esse extra illud, vt apparet in albedine, quæ tãta est in tota superficie parietis, quanta in puncto superficiei, vtrobiq; enim color est disgregans visum, ac proinde tota secundum essentiam. Quod autem in aliquo est totum per extensionem, nõ est necesse in qualibet eius parte totum esse, sed sufficit aliquam partẽ totius esse in parte aliqua, quia & hæc albedo vt extensa est per superficiem, tota quidẽ est in tota superficie, pars autem extensionis in parte superficiei, vt patet. Et licet huiusmodi extensio sit accidentis in subiecto, simile tamen est iudicium de extensione corporis physici in alio loco, ita enim ab illo continetur, vt quælibet pars locati correspondeat partibus loci, & ipsum locatum toti loco, proindeque nullo modo potest esse simul extra illum locum. quod si esset, iam comprehenderetur ab hoc loco, & non comprehenderetur, quia, vt dicis

Vnũ corpus non potest esse in pluribus locis.

dicis, totaliter esset in duobus. Vnde maior est repugnantia duorum locorum ad idem corpus, quam duorum corporum ad eundem locum. hæc enim nonnisi effectiua videtur esse, ratione cuius vnum corpus expellit alterum ab eodem loco, sed illa quæ est duorum locorum ad corpus idem numero, est repugnantia formalis, tanquam inter duas formas, & extremitates corporum continentium, quarum aduenientevna desinit esse altera, sicut posito termino ad quẽ, cessat terminus à quo, propter formarum oppositionem, quam virtus diuina impedire non potest, licet possit effectiuam, quæ est inter duo corpora ad eundem locum, vt explicatum est. Quæ autem contradictiones sequantur ex parte affirmatiua istius Articuli, declarat Magister Nunno *super tertiam partem D. Thomæ*: & reuera intellectus benè dispositus non potest facilè cõprehendere, quo pacto auis quam Deus miraculosè in duob. angulis istius Lectorij posuit, non moueat te localiter ab vtroque angulo, cùm habeat omnia requisita ad volandum; si autem mouebitur, naturaliter in duobus existet, quod aduersarij nolunt concedere.

Conclusio. Impossibile est idem numero corpus simul existere in plurib. locis per Dei potentiã. *Probatur*: Effectus secundarius alicuius formę, non potest esse absque primario, quia essentialiter ab illo dependet. sed posito vno corpore in duobus locis, quantitas illius habe-

haberet duas extensiones in ordine ad locum, & vnam respectu totius. Ergo. Superest vt argumentis à principio positis satisfaciamus, quæ obijcit Schola Conimbricensis.

Ad primum igitur dicendum, Nego suppositum argumenti, hoc est, quod Deus ponens substãtiam in pluribus locis simul, poneret eam modo naturali, imò contra naturam, quia corpus existens in vno loco, non potest occupare locum alterius corporis existentis in alio loco, nisi ad eum moueatur saltim virtute Dei moueri autem est impossibile, nisi derelinquatur terminus à quo, vt ipsa definitio Motus ab Aristotele tradita conuincit.

Ad secundum, Nego Maiorem, & ratio discriminis est repugnantia formalis & effectiua, vt dictum est.

Ad tertium, Dico quod in huiusmodi apparitionibus non videtur propria species Christi, & præcipuè si remanent dimensiones quę prius fuerant, sed tantum species miraculosè formata vel in oculis intuentium, vel etiam in ipsis Sacramentalibus dimensionibus. Quod si in propria specie Christus appareat in Sacramento, tunc non erit in cœlo, vt sentit Angelicus Præceptor *in 3. p. Quæst. 76. art. 8.* Illi autem Sancti Pontifices interfuerunt realiter exequijs amicorum; sed Angeli beati videbantur pro ipsis, quibus celebrare non licuit. Si enim ipsi erant, cur non celebrabant? *Hæc dicta sint de Loco, quæ erat prima pars huius libri.*

SVMMA TEXTVS IN secunda Parte libri.

PRIMA *Conclusio*. Ad Physicum pertinet disputare de vacuo. *Probatur*. Non dissimilem habent incredulitatem & fidem, sed ijsdem rationibus creditur esse locus, quibus creditur ab antiquis Vacuum esse, & qua ratione arguitur non esse locum, eadem probari potest Vacuum non esse, eò quòd illis vtrumq; idem esse videatur, quamuis ratio vtrobique non eadem. Etgo Physici est considerare de Vacuo, si est aut non, quomodo aut quid est, sicut de Loco.

Rationes pro Vacuo.

Secunda Conclusio. Esse affirmarunt Vacuum nonnulli ex veteribus, ob rationes inualidas. *Probatur*. Inquiunt enim primò motum quidē in loco qui latio est non fore. nam si quid huiusmodi videtur, aut in pleno aut in vacuo est motum, non in eo quod plenum est, siquidem id aliud non capit, quod si capiat duoque sint simul, fieri etiam potest vt quotcunque corpora simul sint. differentiæ enim ratio cur id quod dictum est esse non queat, afferri non potest. Deinde compressio corporum demonstrat hocipsum. aliquando enim in minorem sese molem recipiunt, & angustiorem occupāt locum, vt est videre in lana, & spongia dum manibus coercentur, & aliquando fit maius corpus ex incremento. quod si vacuum nihil esset, vno crescente corpore, totus contremisceret mundus. Sed neutro modo concluditur inten-

intentũ, quia ad alterationẽ & quamcunq; motus speciem non requiritur inane, quo sublato adhuc corpora mutuò se non penetrabunt, sed vnum cedet alteri, hoc est, quod tenuimus est spissiori, contrahẽdo seipsum, & ità minus spacij quam antea occupando. Ergo si vocentur ad calculos argumenta Philosophorũ, constat illos fuisse deceptos rationibus inualidis.

Tertia Conclusio. Neque à corporibus inane separatũ est, vt aiunt nõnullis, neq; intra inclusum. *Probatur prima pars* Si vacuum aliquid est, vt locus expers corporum quo illa excipiãtur, non solum ob id necessariũ non est, sed eo cõstituto omnis motus tollitur, nulla enim supperet ratio cur huc potius quã illuc quid feratur. Et maximè quidem, quod motus omnis aut vi aut natura efficitur, necesse est autem, si violentus fuerit, & naturalem esse, quãdoquidem præter naturam est, qui verò huiusmodi, naturali est posterior, ita vt aliorum motuum nullus futurus sit, nisi is qui cuiq; corpori naturâ congruit, præcesserit. Secunda pars ita ostenditur. Si enim non separatũ, hoc tanquam omnis motus causa erit, falsum tamen est, raritas enim quã leuitas comitatur, nonnisi motui quo sursum itur deseruit, & densitas ex qua grauitas oritur, nõ iuuat nisi morũ quo põdera deorsum tendũt. Ex his ergo perspicuum est Inane non esse, neque separatum, seu omnino, seu in rarò, neque potestate. *Et de Vacuo quemadmodum est & non est, hoc modo sit definitum.*

QVAESTIO XVIII.

De natura & ratione Vacui.

ARTICVLVS I.

Vtrum vacuum possit fieri in vniuerso per vires naturæ.

VIDETVR quod sic. *Primò.* Accipe hunc locum in quo Cathedra est, & sic discurro. Quodlibet corpus non esse hic, est naturaliter possibile, sicut est Cathedra, lapis, & animal. Ergo possibile est hic Vacuum induci per vires naturæ. *Conseq.* Nam eadem virtus activa quæ impedit ne hoc vel illud corpus contineatur à specie, potest impedire omne aliud corpus, nec deueniendum erit ad aliquod non impedibile.

An Vacuum sit

Secundò. Vacuum esse experientiæ quædam probare conantur. Nam si in vase aqua locetur tempore hyemis, concrescet gelu, & in minorem locum se recipiet relinquendo post se Vacuum: & si quis in extrema cœli regione constituatur, poterit inde manũ extendere, aut iaculũ sagittæ intorquere, ac proinde operari in vacuo; tabulas etiã planas nimis compactas diuellere nõ poteris in instanti, quin prius aer attingat partes extremas, quam mediũ vtriusq; antea inane. Ergo experientiâ Philosophiæ Magistrâ, Vacuum esse sentiendum est.

Tertiò. Incrementum rei viuentis fieri nõ potest,

test, nisi recipiatur alimentum in corpore quod fit auctius. Ergo recipitur in spacia vacua, siquidem in pleno receptum argueret duo corpora simul esse naturaliter, quod superius impugnauimus.

Respondeo, Quod disputatio de Vacuo introducta est ab Arist. in presenti, non ad ostendendum illud esse, sed quia contrariorum est eadem scientia, & Locus opponitur vacuo, vt patebit inferius. Duobus autem modis accipitur, hoc est *negatiuè & priuatiuè*. Illud dicitur negatiuè vacuum, quod se habet per modum spacij, in quo nullum est actu corpus continens vel contentum, & hoc Inanis vocabulo veteres Philosophi voluerunt significare, cuiusmodi erat ante vniuersi productionē, quia nihil fuit alicubi, & modò extra ambitum cœli est, reuerāque imaginatur esse, sed de illo nihil ad præsens. Priuatiuè autem sumptum, dicit pro materiali spacium inter latera alicuius corporis, & pro formali negationem continentiæ, vt si daretur ignis in sua sphæra existens, deinde elementum terræ vt modò est, tunc per expulsionē intermedij corporis quod est aer vel aqua, si nouo hospiti nō fieret aditus, consurgeret vacuum iuxta hanc acceptionem. Cuius definitio talis: *Est locus non repletus corpore aptus tamen repleri.* Vbi pro genere, ponitur *locus*, quia de pleno & inani dicitur sub ratione diuersa, sed *non repletus corpore, aptus tamen repleri*, est differētia. negatio enim

Duobus modis accipitur.

corporis continentis cum aptitudine ad continendum, est formalis priuatio continentiæ, in solo intellectu existens, vt patet. Nihil autem tale potest fieri in rerum natura per vires causæ inferioris & creatæ. Cum enim res quælibet physica & sit quoddam particulare Ens si præcisè vt in se est spectetur, & cum hoc sit etiam membrum vniuersi pertinens ad ordinem naturæ; ad hæc duo conseruanda summopere contendit, hoc est, ad bonum commune totius Naturæ, & sibi proprium; quia tamen excellentius est primum, & quasi diuinius, maiori conatu vnumquodque fertur ad conseruandum illud. Et hoc est quod denotare voluit Aristoteles *in lib. 1. Meteor.* asserit enim mundum sublunarem contiguum esse motibus superioribus, vt inde influxus cœlestes recipiat, & ex mutuo coniunctionis fœdere ab interitu sese vindicet. diuisio enim partium, via quædam est ad corruptionem totius, & sicut manus exponit se periculo pro defensione capitis natura sic inclinante, ita & partes vniuersi eligerent potius corrumpi & non esse, quam permittere hanc turpitudinem vt aliquid vacuum fieri possit. vnde aliquando mouentur à proprijs locis vt alienum repleant, grauia enim ascendunt & sistunt in aere, leuia ima petunt, interdum bombardæ motum aeris fortissimum efficiunt, & si quæ alia sunt media ad impediendum vacuum.

Conclusio. Non possibile est fieri vacuum in vni-

vniuerso per vires naturæ. Probatur ex Arist. *in Textu*, & ex dictis *in Corpore*.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Antecedens. Quodlibet non esse est possibile. In sensu diuiso & absolutè, *concedo*; in sensu cõposito, *nego*, ad eum modũ vt ibi nihil fieri possit.

Ad secundum, Nego Antecedens. Aut enim aqua illa non concresceret, aut ipsum vas disrumpetur. Et sicut non potest quispiam se ponere virtute naturali extra cœlum in vacuo, ita nec ibidem agere, vt patet. E duabus autem tabulis perfectè planis, nequit vna seiungi ab altera quoad omnes partes simul: motus enim quidam est ipsa eleuatio, cuius termini non se compatiuntur pro eodem instanti.

Ad tertium, Nego Conseq. Recipitur enim alimentum non in vacua vt aliqui putauerunt spacia, sed quia tenuiora corpora quæ meatus internos opplent, aduenientes spissiore cedunt eiq; locum præbent, quocirca nec hac quidem in parte vacuo indiget natura.

ARTICVLVS II.

Vtrum substantiæ separatæ possint vacuum efficere virtute naturali.

VIDETVR quod sic. *Primò* Quando agens principale operatur per instrumentum, inuenitur aliquid in effectu procedens ex virtute illius, quod fieri non potest ab instrumento, vt sæpius probatum est. Sed materialia comparantur ad virtutem angelicam velut instrumenta, vt insinuat ipse verè Angelicus

Substãtiæ separatæ an possint Vacuum efficere.

Præceptor *in p. p. Q.* 110. Ergo potest aliquid prouenire ab angelo, quod agẽtibus corporeis non correspondet, cuiusmodi est vacuũ. Consequentia cum toto discursu fundatur super illo communi axiomate: *Quidquid potest virtus inferior potest superior, & aliquid amplius.*

Secundo. Quodlibet Elementum obtemperat substantiis spiritualibus quoad motum localem. Ergo sicut possunt pro arbitrio mouere, quando & vbi voluerint, possunt impedire ne moueatur aliud corpus in locum rei præexistentis, & hoc est, vacuum inducere.

Tertiò. Sumamus folles benè complicatos, in quorum orificio est vas ita occlusum ab aere vt ingredi non possit, tunc si latera follium eleuarentur ab angelo, aer vasis replebit folles, & relinquetur vacuum in vase. Præterea, applicet angelus fistulam in superficie torrentis ad trahendum aerem qui circumstat aquam, hoc attracto, partes aquæ leuabuntur sequentes aerem ad replendum vacuum. Sed tunc potest angelus impedire motum aquæ. Ergo & vacuum efficere.

Respondeo, Quod sicut docet Dionysius *in ca 7. de diuinis nominibus*, Sapientia diuina coniũgit fines primorum principiis secundorũ, ita planè, vt natura inferior attingat in sui supremo id quod infimũ est supremi. *Pono exemplum.* supremũ in Entibus Deus est, qui cũ habeat per essentiã esse, attingitur ab angelis in hoc quod est esse Ens, sed participatiuè: angelos attingũt

cre-

creaturę rationales in esse intellectuali absolutè quod imfimum est, sed non in hoc quod est sine discursu aliquid concipere, idcircò enim substantiæ intellectuales vocantur, sed homines rationales, quibus innatum est ratiocinando & discurrendo veritates rerum inuestigare, ac proinde non attingit hæc species supremum angeli, sed infimum, vt patet. Infra homines irrationalia ordinantur, quæ sola cognitione sensitiua sunt prędita, sed carent omni intellectu, vt leo, postea plantæ infimũ leonis habent pro supremo suę speciei, cuiusmodi est viuere; & tandem mixta & simplicia corpora vltimum locum sibi vendicant, vt aer, vel lapis. Sic igitur omne supremũ infimi, attingit infimũ supremi. Et quoniam inter motus corporeos perfectior est & quasi aliorum regula motus localis, vt postea disputabitur fusius, idcirco tota natura corporea apta est moueri localiter à substãtiis spiritualibus, quod etiam antiquiores Philosophi coacti sunt admittere: quæ si operantur virtute diuina, possũt efficere vacuum miraculosè & præter ordinem rebus præfixum, naturali verò nequaquam, quia dispositio & ordo rerum in vniuerso, est quidã effectus causæ vniuersalis, excedẽs vim cuiuslibet agentis creati, nihil enim vltra sphærãsuæ Entitatis operatur. operatur autẽ vnũquodq; hoc modo sicut est, imò & ipsæ substantiæ, de quibus est sermo, nõ eximuntur ab huiusmodi ordine, & profecto ad hoc vt non sint agerent,

Motus localis aliorum regula.

rent, si quid agerent.

Conclusio. Virtute substantiæ separatæ non potest fieri vacuum in vniuerso. *Probatur.* Nō est proportionatus effectus huic naturæ, vt immutet ordinem elementorum à Deo statutum. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego Conseq. Eadem enim ratione probaretur angelos posse aliquid producere ex nihilo, hominem iustificare, & si quæ sunt altioris ordinis, quæ virtute inferioris causæ nequeunt produci.

Ad secundum, Distinguo Anteced. Quoad motum localem in particulari, *concedo*; qui ordinem vniuersi concernit, *nego*, & sic est in præsenti.

Ad tertium, Dico, quod in tali casu non posset angelus impedire motum aquæ surgentis, nec latera follium attollere, propter rationē positam, quod si vis adhibeatur, rumpentur absque dubio folles.

ARTICVLVS III.

Vtrum aliquid possit moueri localiter in vacuo, si daretur.

VIDETVR quod non. *Primò.* Non mouebitur motu naturali nec violento. Ergo non mouebitur simpliciter. *Anteced.* quia motus naturalis requirit spaciū plenū cuius dilatiam percurrat; & violentus impulsum. si autē lapis in vacuo versus cœlū proijceretur, non ap-

Motus naturalis & violenti differētia.

apparet quid ipsum impellat, & ita remanebit penes proijcientem neglecto motu.

Secundò. Quilibet motus ordinatur ad terminũ à quo & speciem desumit. Sed posito vacuo nullus est locus & vbi, vt ex singulorũ definitionibus colligitur. locus enim est superficies continentis, & vbi est esse in loco. Ergo idem quod prius.

Tertiò Omne mobile localiter recipit influxũ à corpore cœlesti, quod si quiesceret, nullus esset motus. sed per vacuũ non potest cõmunicari influxus. Ergo nec motus. Minor est probata superius. illud enim recipit influxũ cœlestem, quod habet certam distantiã ad partes illius, vbi autem nullum est spacium, nulla distantia.

Respondeo. Quod si nomine vacui intelligamus spaciũ inane, in quo nec corpus est cõtinẽs nec contentũ sed pura negatio, nõ procedit de illo Quæstio manifestũ est enim, nullũ ibi posse fieri motũ localem ex natura, quæ nõ inclinat nisi ad certum locũ & vbi, quæ sunt differẽtiæ positionis, vt sursum, deorsum, & his similia. Dico autẽ, *ex natura*, quia per potentiã Dei absolutã non repugnat, in quo casu poterit Deus mouendo corpus detinere in quacunq; distãtia voluerit, nõ quidẽ supplendo vicẽ termini motus, qui est vbi locale siue præsentia in loco, sed efficiẽdo vbi & præsentiã simplicem. vt patet in lapide proiecto extra vniuersum. Cæterum accipiẽdo vacuũ priuatiuè, vt idẽ est quod locus

non

non repletus corpore sed aptus repleri, nihil impedit quominus in eo posset aliquid moueri localiter, nō solū virtute Dei, sed etiā ipsius naturę. Volo dicere, quod si tota sublunaris mūdi plaga vacua esset, vel saltim annihilaretur aer cum aqua, & remanerent Elementa extrema, ignis in terra productus in suū naturalem locum ascenderet, leuitate aut propensione communi ad iungendum se corporibus cœlestibus incitatus, nec lapis ad concauum eleuatus ibi quiesceret, donec per motum deuoluatur ad centrum. Sed vtrum in instanti vel cum successione, dicam in sequentibus.

Conclusio. Possibile est aliquid moueri naturaliter in vacuo si daretur. *Probatur.* Mobile in vacuo habet virtutem actiuam motus & terminum, Ergo potest moueri.

Ad primum igitur dicendum, Nego Anteced. quoad vtramque partem: quia ad motum naturalem non necessariò requiritur spacium plenum vel resistentia medij, immò nec quòd per locum fiat. non enim ad locum per se terminatur sed ad vbi. in motu etiam violento lapidis, non causatur impulsus ex medio, sed ex virtute impressa ab eo qui proijcit.

Ad secundum, Distinguo Minorem. Si est vacuum purè negatiuum, *concedo*; priuatiuum, *nego*. quia tale est inter corpora distantia, vt explicauimus.

Ad tertium, Distinguo Maiorem. Si mouetur ordinariè & secundum modum præfixum rebus

rebus physicis ab auctore naturæ, *concedo*; in alio statu rerum, *nego*. tunc enim motus fieret per solum concursum primæ causæ, qui etiam in vacuo potest communicari. Sed occasione dictorum, sit

ARTICVLVS IV.

Vtrum si quid moueretur per vacuum, moueretur in instanti.

VIDETVR quod sic. *Primò*. Moueretur sine resistentia. Ergo in instanti. Consequentia patet. propterea enim DEVS potest quidquid vult in instanti agere, quia ipsi nihil resistit.

Secundò Omne quod mouetur partim est in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*. in ipsis enim terminis mobile existens moueri non potest. Sed in vacuo nulla est distinctio partium aut quantitas, cùm sit locus non repletus corpore. Ergo idem quod prius. *Termini Motus.*

Tertiò. Quantò aliquod medium inter extrema subtilius est, tantò tempus quod in eo consumitur est breuius, vt apparet in lapide proiecto per aquam & aerem. Sed in vacuo nulla est proportio subtilitatis ad plenum, cũ in eo nullum sit corpus. Ergo nulla erit proportio celeritatis ad tempus, ac proinde sicut spacium plenum in tempore, ita vacuum in instanti conficietur.

Respondeo, Quod quia motus est actus Entis in potentia secundum quod huiusmodi, idcirco illud mouetur quod est coniunctum alicui for- *Quidnam moueatur*

formæ sub esse imperfecto, & tendit ad illam acquirendam sub esse perfectiori: ista verò tendentia est recessus à termino *à quo*, & accessus ad terminum *ad quem*. Ille ergo motus dicetur esse in tempore, cuius recessus de vno extremo, & accessus ad alterum habet pro sua mensura tempus, in instanti verò, quando non habet. Manifestum est autem, quod etiam in spacio priuatiuè vacuo inueniantur aliqua extrema saltim imaginaria. nam per apprehensionem extensionis in partem superiorem, dicitur sursum imaginarium, & in partem inferiorem deorsum, & quia extrema dicunt ordinem ad medium, quod inquantum huiusmodi mediat inter illa, idcirco vacuum habens extrema habet medium, veluti continuum imaginarium. Quod si termini sunt incompossibiles & incontingentes ratione medij, non poterunt simul eidem conuenire. nam mobile quiescens sub vno, ob contrarium situm resistit quodammodo virtuti actiuæ, quæ ipsum impellit ad alterum. Nullum ergo agens potest aliquod subiectum ponere mediante motu sub termino ad quem, quando adhuc est in termino à quo, sed in alio & alio instanti, vt patet in manu calefacta per ignem. Et quoniam duo instantia non possunt sibi immediatè succedere, mediat tempus, sicut linea inter duo puncta, ac proinde si aliud est tempus in quo res deserit vnum terminum & acquirit alterum, consequens est vt res quæ mouetur in

vacuo

vacuo, moueatur in tempore, & non in instanti. Vnde quia generatio substantialis non est progressus de forma in formam, sed de negatione formæ, corruptio autem de affirmatione ad negationem; meritò fiunt in non tempore, & præsertim si absque dispositionibus præuiis considerentur, quod in augmẽtatione, alteratione, & motu locali, locum non habet.

Conclusio. Si aliquod corpus moueretur in vacuo, nõ moueretur in instãti. *Probatur.* Esset enim simul in duobus locis realiter distinctis per motũ, si moueretur in instanti, quod nemo sanæ mentis potest admittere, cum hoc per Dei potentiam fieri nequeat, *vt disputabitur in 6.* Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Anteced. Moueretur sine resistentia, ex parte medij, *concedo*; ex parte mobilis & extremorum, *nego.* Deus autem idcirco potest in instanti agere, quia operatur intimè & independenter ab omni extrinseco.

Ad secundum, Distinguo Minorem, Nulla est distinctio partium, secundum rem, *concedo*; secundum imaginationem, *nego*, vt explicatum est.

Ad tertium, Distinguo Minorem. Nulla proportio subtilitatis, Propter medium, *concedo*; ratione incompossibilitatis terminorũ, *nego.* non enim mobile ob solam medij resistentiam trahit tempus in motu, quæ est causa temporis nonnisi per accidens.

AR-

ARTICVLVS V.

Vtrum Deus existat in locis imaginarijs extra Vniuersum.

Substantia spiritualis quo modo sit in loco.

VIDETVR quod sic. *Primò.* Potest Deus applicare virtutem actiuam ad operandum extra vniuersum in locis imaginarijs, absque hoc quod in se mutetur. Ergo ibi existit, quia secundum Thomistas, quælibet substantia spiritualis ideò dicitur esse in loco, quia applicat virtutem ad operandum in illo, absque mutatione suiipsius.

Secundò. Ideo anima intellectiua est in toto corpore definitiuè, quia ita est hic quod nõ extra. Sed Deo respectu Vniuersi hoc non competit, alioqui existentia illius arctaretur ad ipsum. Ergo.

Tertiò. Ex hac hypothesi tria potissimum incommoda sequerentur. In primis si vellet vniuersum mouere per spacia in quibus nunquam erat, inciperet esse post non esse in tali specie, quod est moueri per accidens, & propter aliud. Deinde si angelum crearet post duo milliaria extra cœlum, esset in extremis & non in medio, quia in cœlo & angelo. nam si hoc non esset, quomodo produxit vbi non fuit præsens? Denique falsò doceret Scriptura Deum esse incomprehensibilem & immensum, vnde est illud Platonis in quodam Dialogo;

logo: *Deus est sphæra perfectionis, cuius centrum vbique, & circumferentia nusquam.* Ergo.

Respondeo, Quod duobus modis dicitur aliquid locum replere, scilicet *formaliter & effectiuè.* Esse in loco *formaliter* est circumdari superficie vltima continentis, & intra terminos eius claudi, ita vt totum corpus intra illam sit, & partes corporis in partibus superficiei, quo pacto Entia materialia replent sua loca per superficiem extrinsecam tanquam per formam. *Loci repletio duplex.*

Replere autem *effectiuè*, est continere aliquid per virtutem actiuam & conseruare, dando illi esse substantiale vel accidentale, quo pacto Deus replet omnia loca. in omnibus enim agentibus ordinatis semper oportet quod causæ materiales agant in virtute causæ primæ, sicut in rebus Physicis corpora inferiora agunt in virtute orbium cœlestium, & in voluntarijs agentibus, artifices inferiores operantur secúdum imperium summi architectonis: & ita per simplicem suam virtutem attingit vniuersa quæ in loco sunt, velut prima essendi causa, estque in omnibus non per locorum spacia diuisus quasi vna pars eius sit hic, & alia alibi, sed vbique totus, mouens enim & motum debent esse simul. Et quoniam extra cœlum non est aliquid productum cui virtus primæ causæ in agendo correspondeat, sequitur ibi Deum non esse tanquam in loco.

Conclusio. Deus non est actu in locis imaginarijs extra Vniuersum. *Probatur.* Ante produ-

ctionem creaturæ, quia nihil erat vbi esset Deus, nullibi fuit. Ergo pari ratione modo non est extra vniuersum, quia nihil est vbi sit, quod si illic sunt creaturæ possibiles, non est in illis actu, quia non sunt actu.

Ad primum igitur dicendum, Nego Conseq. Licet enim Deus habeat virtutē infinitā quam posset applicare ad agendū extra vniuersum si ibi aliquid esset, tamen quia nihil est, non agit nec applicat tunc autem dicitur alicubi esse tanquam in loco actu, quando non solùm dat esse loco & virtutē locatiuam, sed etiam ipsis rebus contentis, vt ab eo contineantur.

Ad secundum, Distinguo Conseq. Est extra, prout hęc particula designat aliquid reale, in spacio imaginario vbi sit, *nego*; prout idem est quod non intra limitatè & definitiuè, *concedo*.

Ad tertium. Nego sequi inconuenientia quæ inferuntur. Nō enim potest Deus mouere motu recto vniuersū ad aliquod spaciū imaginariū, priusquā efficiat terminū lationis, ac proinde non inciperet ibi esse per aliud, quia antequam moueret iam esset. Creando autē angelum, esset in extremo cœli, & in effectu productō, sed non in medio, quia nullum est: vel si in medio, nō tanquā in alio, sed vt in seipso prout fuit ante vniuersum. Incomprehensibilis tamen est hic circulus, quia est intra creaturam modo illimitato, imò & in infinitis locis esset si crearentur. Hic finitur Tractatus de Vacuo.

SVM-

SVMMA TEXTVS IN Tertia parte libri.

PRIMA *Conclusio.* Quid tempus sit, & quæ ipsius natura incertum est. *Probatur.* Alij namque vniuersi conuersionē aiunt, alij sphæram ipsam. & quibusdam fieri nō posse videtur vt possideat aliquam essentiam, eius enim pars vna præterijt nec est, alia futura est & nondum est, quod autē ex his quæ nulla sunt concretum est, videtur nō esse. Ergo tempus esse incertum est.

Secunda Conclusio. Sine mutatione tempus nō est, non tamen ipsa, numerus autem motus secundum prius & posterius. *Probatur prima pars.* Nisi motum percipiamus, non credimus tempus effluxisse; vt accidit iis, qui cùm diu, vt tradunt tabulę, in Sardo insula apud heroas dormissent, præteritum instans cum posteriori iunxere, quasi medium non præterijsset, quamobrem nullum motionis sensum habebant. Dixi non ipsa, velox enim aut tardior est, tempus autem non, imò hæc definiuntur per ipsum. celerem namq; dicimus, cùm temporis mora breuiore plus spacij conficit, sed non celerem, si longiore temporis interuallo minus percurrit. Secunda pars ita ostenditur. Tempus cognoscimus, cum motum distinguimus priori & posteriori distinctis, & si vtriusque in motu sensum habuerimus, hoc est, aliud & aliud ea esse, & aliquid

aliud intercedere cogitantes. Cùm autem duplex numerus sit, *numerans & numeratus*, rursumque numeratus in eum qui rebus actu disiunctis, & qui inuicem continuatis inest secatur; licet appellare tempus numerum posteriori modo, quemadmodum partes motus re connexas, animo discretas. Ergo.

Numerus duplex.

Tertia Conclusio Diuersa temporis attributa colligere est ex dictis. *Probatur.* Nam quia in numero minimum est, in tempore similiter, videlicet multitudine. magnitudine enim minus non est; dicitur multum & paucum, longum & breue, sed non velox & tardum. qua enim ratione continuum, appellationem continui adsciscit. Quodammodo idem, quodãmodo diuersum. mutatio enim quæ præsens est vna, quæ autẽ facta est, & quę futura, diuersæ. Vt autem vnus idemque motus iterũ redire potest, sic tempus potest quod euanuit remeare, ver enim, æstas, & hyems, continuò eadem secundũ speciem. Metimur autem nõ motum solùm tempore, sed & motu tempus, atque id rationabiliter; magnitudinem enim motus sequitur, & motum tempus, & sicut ex magnitudine motum, & ex motu magnitudinem æstimamus, vt si ambulatio longa, dicimus viam longam, & rursus ambulationem longã, quia iter longum, ita motú tempore, & illud motu definimus. Quoniam ergo tempus mensura motus, manifestũ est, quæ semper sunt in tempore non esse, in quantum huiusmodi, cuius oppo-

Mensura temporis & Motus.

oppositum motui ac quieti inest. Ergo.

Quarta Conclusio. Nunc, aliquando, iam, nuper, olim, subitò, non idem. *Probatur.* Nunc enim præsens, temporis continuatio est, Aliquando tempus est terminatum ad prius atq; posterius nunc, hoc est à præsenti momento disiunctum, sicut Aliquando capta est Troia, & erit inundatio. Ipsum autem iam, pars est futuri temporis, præsenti momento indiuiduo propinqua, vt quando ambulabis? iam: quia tẽpus in quo est ambulaturus propinquũ. Nuper è conuerso, id quod præsenti momento propinquũ est, atque præteriti tẽporis pars, vt quando venisti? nuper, si tempus pręsenti nũc fuerit propinquum. Quod verò longius abest, Olim, & Subitò, quod in tempore ob paruitatem sub sensum cadente, immutatur. Ergo non idem.

Quinta Conclusio. Cuiusuis motionis tempus est numerus, sed non omnium motuum tempus est regula. *Probatur.* Singula vno aliquo generis eiusdem numerantur, vnitates vnitate, equi equo, & tempus tempore, sphæræ ergo motus tempus esse videtur, cùm alios motus atque etiam tempora hic metiatur. *Hæc docentur in textu.*

QVAESTIO XIX.

De his quæ ad naturam temporis spectant.

ARTICVLVS I.

Vtrum tempus sit aliquid reale extra intellectum.

VIDETVR quod nō. *Primò.* De nulla parte temporis potest affirmari quod existat actu absq; opere intellectus. Ergo nec tempus existit, non enim totū est præter partes. *Antec.* quod enim futurum est aliquando; nondū est sed erit, & quod præteritum, iamdudum abijt & amplius non est, ipsum verò instans nō habet rationem partis, propter esse indiuisibile.

Partes temporis.

Secundò. Omne existens præter intellectum, aut est in tempore, aut in momento imperceptibili, sed tempus non est in tempore, quasi res temporalis, sicut nec albedo est alba, neq; etiam in momento, quod non est continuū. Ergo à parte rei nihil est.

Tertiò Angelicus Præceptor *in* 1. *Sent. Dist.* 19. *Quæst.* 2. *art.* 1. ait: *Formale in tempore completur in operatione animæ numerantis.* & ibi cōparat tempus vniuersali, vt dicit naturam sub intentione vniuersalitatis. Hoc idem sub alijs verbis Commentator insinuat in prēsenti cum ait: *Tempus in actu non erit nisi anima sit, in potentia verò erit.* Ergo idem quod prius.

Respondeo. Quod existentiā temporis, atque illius

illius quiditatem inuestigare, satis difficile & arduum est, teste D. Augustino *lib. 11. Confes. Cap. 14.* sic enim discurrit: *Tempus quid sit, si nemo ex me quærat, scio; si quærēti explicare velim, nescio.* Benè id profectò & sapienter. nam sicut nihil est notius quàm quod tempus sit, ita nihil obscurius quàm penetrare quid sit, nō ex defectu potētiæ cognoscitiuæ, quemadmodū Solem maximè per se visibilem ægrè multoties cernimus; sed ex imperfectione obiecti, quod cum sit minimæ Entitatis, est cognitu difficile. nihil enim præter Ens cognoscitur, & si quidpiā habet plus de Entitate, magis est cognoscibile, successiua autem vt motus & tempus habent esse in fieri, permixtū potentiæ, quæ impedit cognitionem obiecti. Et quoniā tempus est aliquo modo *continuum*, & aliquo modo *discretum*, cùm sit numerus prioris & posterioris in motu cōtinuo, idcirco dupliciter potest intelligi, scilicet quantū ad eius continuitatē, & quantum ad actualē discretionem & separationē partium. primum conuenit illi realiter secundū esse quod habet extra intellectū. est enim continuum in ratione mensuræ, sicut & motus in quo est, secundū autem vt apprehenditur ab anima, separante & distinguente ipsum in partes, puta *in dies, menses, annos & horas*, & similiter distinguente primum motum in partes ipsius, tēporis partibus respondentes. ista enim discretio actualis non est in re, cùm tam partes motus sint cōtinuę extra intellectū,

Tempus cōtinuum & discretum.

quam partes temporis, sed in apprehensione intellectus tantum. Et est simile, ac si dicere-mus quod denarius numerus quo intrinsecè decem vlnæ numerantur, extra intellectum est quantitas continua, quia est ipsa extensio panni, in intellectu autem est quantum ad actualem separationem in decem vnitates, ex quibus talis denarius integratur.

Tempus aliquid reale est

Conclusio. Verè tempus est aliquid reale existens præter intellectum. *Probatur*, Testimonio S. Scripturæ *in Genesi*: *Fiant*, inquit, *luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, dies & annos.* Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Anteced. Quod existat actu secundum simultatem & permanentiam, *concedo*; secundum continuam successionem vnius partis post alteram, *nego.* Solis enim permanentibus conuenit actu existere tunc quãdo omnes partes simul sunt, quia in his fieri & factũ esse distinguũtur, tanquam via & terminus, successiua autẽ reducuntur ad actum per aliquam partem, vtantea sæpius dictum est.

Ad secundum, Distinguo Conseq. A parte rei nihil est, tanquam mensuratũ tempore, *concedo*; tanquam aliorũ mensura, *nego.* esset enim processus in infinitũ si existeret in alio tempore.

Ad tertium, Explico mentẽ Angelici Doctoris. Loquitur enim de tempore quantum ad

actua-

actualem numerationem partium, quę est perfectio cõplens illius naturã per accidens, non verò quantum ad habitualem, ac proinde esse numeratũ conuenit partibus temporis per accidens, sed esse numerabile, per se. Vt autem præsens Dubium magis eluceſcat, mouetur

ARTICVLVS II.

Vtrum tempus sit numerus motus secundum prius & posterius.

VIDETVR quod non. *Primò.* Illa quæ sub aliquo genere distinguuntur specie, non possunt de se inuicem prædicari, quia diuersorũ generum & non subalternatim positorũ, diuersæ sunt species. Sed tempus si quid est, est continua quantitas, numerus autẽ discreta: vt docetur in Prędicamentis. Ergo tempus non est numerus.

Secundò. Illa quæ numerantur debent esse discreta, quia & numerus ex diuisione continui enascitur. sed motus non habet partes discretas. Ergo tempus non est numerus motus.

Tertiò. Tempus est *numerus quietis*, secundũ Philosophum *in text.* 118. *quies*, inquit, *omnis in tempore est.* Ergo definitio diminuta. *Est numerus quietis.*

Respondeo, Quod circa definitionem temporis tres particulæ sunt notandæ. Prima est, *Numerus*, qui duplex est, *numerans & numeratus*, intelligendo per numerũ numerantẽ formã simpli-

plicem & abstractam, qua cognoscimus extensionem discretam aliquorum Entium, abstrahendo ab hoc & illo subiecto, in quo sensu ad genus Quantitatis pertinet; & per numeratum siue materialem & concretũ, res ipsas quæ numerantur, siue de genere substantiæ, vt decem homines: siue accidẽtis, vt tres albedines, vnde numerus numerans & numeratus sola ratione distinguuntur. eædem enim sunt vnitates & quantitates rerum, prout in abstracto vel concreto concipiuntur. Tempus ergo non est numerus formalis, vt patet, alioqui sciens numerum lignorum vel hominum deprehenderet illorum tempus: sed numeratus, puta pars prior & posterior in motu, numerando enim prius & posterius in aliqua actione, statim deprehendimus quãta fuerit actio. Secunda particula, *Motus*, & solum accipitur pro motu supremi cœli, qui est maximè regularis, & vniformis, veluti horologium ac mensura vitæ nostræ, omniumque mutationum corporaliũ quæ in orbe sunt, & in hoc motu est tempus intrinsecè, tanquam in subiecto *quo*, & in primo mensurato, in alijs autem per denominationem extrinsecam, appellantur enim inferiores motus mensurati à tempore, absque hoc quod sint illius subiectum. Vltimò additur, *Secundum prius & posterius*, vt intelligas tempus consequi motum, non quatenus est actus Entis in potentia, siue forma fluens quæ nondum venit ad terminum, sed inquantum habet duo

Numerus duplex.

nunc

nunc per modum prioris & posterioris, præteriti & præsentis, quæ à parte rei sunt in motu continua, sed per operationem intellectus discreta; hoc modo, vt vna pars in motu sit prior & altera posterior, quæ quia non sunt simul, sed vna succedit post alterã, oportet aliquam moram interuenire, & hæc est duratio motus, & vltima differentia temporis.

Tempus quid.

Conclusio. Tempus est numerus motus secũdũ prius & posterius. *Probatur.* Id quo certificamur de quãtitate alicuius rei, est numerus eius, sed tẽpus est id quo metimur motũ. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem. Tempus est continua quantitas, Per se & in ratione extensionis nego, per aliud & in ratione mensuræ, concedo, sicut enim continuitas magnitudinis est causa cõtinuitatis in motu, ita continuitas motus, causa est eius quæ est in tempore.

Ad secundum. Distinguo Minorem. Motus non habet partes discretas, quantitatiuè concedo, modaliter nego, quia alia est ratio prioris partis in motu, & alia posterioris, sicut in corpore physico potest vna pars discerni ab alia secundũ qualitatem & modũ, quia est alba vel nigra, sed non secundũ extensionem, quia sunt sibi continuæ.

Ad tertium, Explico Philosophũ distinguẽdo Antec. est numerus quietis, per se, *nego*, per accidẽs & quatenus. priuatio est motus in termino ad quem, *Concedo.*

AR-

ARTICVLVS III.

Vtrum Tempus distinguatur à motu supremi Cœli realiter.

VIDETVR quod sic. *Primò.* Quilibet motus aut est velox aut tardus, vt *in Textu* docuit Aristoteles. Sed istæ differentiæ non possunt conuenire tempori. Ergo distinguuntur realiter. *Minor.* Motus enim est tardus, quia in maiori tempore decurrit spacium, & velox in minori, tempus autem nequit esse in tempore.

Secundò. Illa quæ ita se habent, quòd vnum eorum patitur aliquam variationem & non aliud, distinguuntur realiter, sicut quando in manu intenditur calor & non albedo. Sed Tempus & Motus sunt huiusmodi. Ergo Minor patet in duobus motibus per idem spaciũ factis, habent enim eandem extensionem, sed inæquale tempus.

Tertiò. Motus est causa temporis, sicut prius & posterius in motu, prioris & posterioris in tempore. Ergo distinguuntur realiter. fieri enim nequit, vt effectus in aliquo genere causæ seipsum efficiat & causet.

Respondeo, Quod hæc tria non sunt synonyma, *productio rei, conseruatio, & duratio* quãuis enim eandem rem significent, sub ratione tamen formali diuersa. Vnde *productio* est actus rei modò existentis, quæ non existebat antea, nihil

Productio quid, &c.

nihil enim actu existens producitur. *Conseruatio* autem est actus rei quæ modò habet esse, & habuit antea, si enim quid per instans existeret non amplius haberet completam productionem, sed non conseruationem, quia nec prius existebat nec postea, in instanti autem non est prius nec posterius, cum sit indiuisibile. Cæterum *duratio* est quædam protensio vel continuatio existentiæ alicuius rei, & tunc aliquid realiter durat, quando non solũ habet esse, sed quamdiu est, actu est. Pono super hoc exemplum. Antequã Hyacinthus existeret actu, habuit esse in virtute causæ potentis eũ producere, quod est merè possibile, ratione cuius nec productionem habet nec conseruationẽ. nihil enim productum est in potentia, & quod conseruatur, actu habet esse. Postquam autem est genitus, conseruatio illius & duratio simul sũt cum productione, licet formaliter distinguantur, nã concipiendo Hyacinthum cum negatione prioris existentiæ, appellabo productum; cum affirmatione prioris & præsentis, conseruatũ; cum extensione continua ipsius esse, durantem. Et quoniam tempus est numerus prioris & posterioris in motu secundùm durationem, idcirco non est alia entitas, vel aliud esse diuersum à motu supremi Cœli, aut illius duratione, sed potiùs idem quasi continuatum, cuius tamen sunt varij cõceptus & rationes, vt dixi, eademque extrema, hoc est prius & posterius quatenus stant sub forma continuę succes-

sio-

cessionis, pertinent ad motum, nec in specie alicuius numeri continentur: prout verè considerantur sub forma prioris & posterioris absolutè, & habent inter se quandam discretionem, sunt partes temporis, quæ diuersitas rationis sufficit ad hoc vt habeant peculiares definitiones, vt sint in diuersis prædicamentis, & mutuò se contineant. non enim solùm tempore mensuramus motum, sed etiam tempus per motum, & his similia.

Conclusio. Tempus supremi cœli & motus eadem sunt res, distincta secundum rationem & intellectum. *Probatur.* Si duratio illius motus distingueretur ab existentia tanquam eius mensura, esset quid posterius. Sed hoc dici nõ potest, quia existentia ineptè vocaretur à Philosophis vltima actualitas; vltra quam nihil amplius aduenit rei productæ. Ergo.

Existentia quid.

Ad primum igitur dicendum, Nego Conseq. sufficit enim distinctio per rationem, vt motus habeat aliam definitionem & proprietates à tempore, quod quia pro materiali est aliquid continuum, & pro formali discretum, appellatur longum & breue sicut linea, multum & paucum vt numerus, sed non velox aut tardũ, quia istæ sunt differentiæ motus formaliter sumpti & non identicè.

Ad secundum, Nego Minorem. Cuius probatio supponit falsum, quòd tempus sit mensura intrinseca cuiuslibet motus inferioris, cum tamen sit numerus solius motus cœlestis, vt amplius dicetur.

Ad

Ad tertium, Distinguo Antecedens. Est causa temporis, quantum ad illius entitatem *nego*, quantum ad illationem, *concedo*, sicut enim Franciscus infert hominem, & homo animal, ita prius & posterius in motu, est causa non realis, sed illatiua prioris & posterioris in tempore. Sed occasione dictorum occurrit

ARTICVLVS II.

Vtrum tempus sit in primo Mobili tanquam in subiecto.

Tempus in quo.

VIDETVR quod non. *Primò*. De ratione mensuræ est vt sit notissima, vtpote qua cognoscimus aliorum extensionem & quantitatem. Sed motus supremi Cœli est occultus, nec ab vllo sensu perceptibilis, vt patet. Ergo in illo non inuenitur ratio mensuræ respectu aliorum motuum, hoc est ipsum tempus.

Secundò. Si tempus esset in primo Mobili tãquam in subiecto, sequeretur quod cessante motu illius, desineret tempus, quia omne accidens saltim secundariò est per existentiam subiecti. Sed hoc est falsum, nam post diem vniuersalis iudicij non erit motus primi mobilis, & tamen si quis deambularet aliquot leucas in superficie terræ, non moueretur in instanti, nec volueret rotã figuli ad momentum, Ergo.

Tertiò D. August. *lib. 11. Confess. cap. 23.* ait: *Nemo mihi dicat cœlestium corporum motus esse tẽpora, quia & cuiusdam voto cum Sol stetisset, vt victor Iosue prœlium perageret. Sol stabat, sed tempus ibat.* Ergo idem quod prius.

Re-

Mensura triplex.

Respondeo, Quod iuxta vsitatum loquendi modũ apud Philosophos, *mensura* triplex est, scilicet *perfectionis, adæquationis*, & *replicationis*. Vocatur autẽ mensura *perfectionis*, omne illud quod in aliquo genere est nobilius, ac proinde causa reliquorum illius generis, quẽadmodum lucifer in substantia, sub colore albedo, & sub animali homo. Talis mensura non est tempus, quia per se interitus causa est, & id quod est, de suo statu dimouet, vnde & substantiæ immateriales, Deus gloriosus, & orbes cœlestes quoad substantiã, neque in tempore sunt, nec tempore definiuntur, quod ea tantùm per se mensurat, in quibus datur prius & posterius, & partes sibi mutuo succedentes. *Adæquationis* autem est, quæ continet mensuratũ absque omni excessu vel defectu, hoc est, non plus nec minus, quod etiam de tempore non verificatur. nullũ enim motũ sublunarem adæquat, quia hoc posito, corruptis rebus quæ existunt in tempore, non remaneret tempus. Erit itaque mensura *per replicationẽ*, sicut vlna respectu panni, qua vtimur tanquam vnitate indiuisibili, multiplicando illã vsque ad minimas actiones; partimur enim tẽpus per annos, annum per menses, mensem per dies, diem autem per horas, quæ est sicut minimùm in numeris. Et quia hæc diuisio & continuitas in nullo alio motus est, præterquã in motu supremi cœli, qui est omniũ aliorum vniuersalissimus, & maximè regularis, idcirco ibi

ibi est tempus per realem inhærentiam, cuius signũ & quoddam horologium est motus Solis. Si autem quis vellet instaurare per artem motum inuariabilem, vt patet in ijs qui conficiunt horologia, neutiquam faciet tempus naturale, sed signum temporis, quod in supremo cœlo est perpetuum ex naturale & indefatigabile. vnius enim eiusdemque horæ signũ dant, quotquot in mundo horologia simul sonant. *In supremo*, inquam, non ex necessitate naturæ, nec quia supremum est, aut circulariter mobile, sed quodammodo per accidens, id est, propter negationem alterius orbis prioris, & motus vniformis, sicut accidit quod sit primus eorum motuum qui in orbe sunt.

Conclusio. Tempus in propria significatione consideratum, in primo est mobili tanquam in subiecto. *Probatur.* Mensura debet esse communis mensuratis, vniformis, & simplex. Sed tempus primi mobilis est huiusmodi, assistit enim cuicunque motui, & durationi illius. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem. Est occultus secundum se, *concedo*; per aliud, *nego*. nam est notissimus per motũ Solis, qui est signum inerrabile temporis, vt dictum est. *Sol signum temporis.*

Ad secundum, Nego sequelam Maioris. non enim est connaturale supremo cœlo per modũ propriæ passionis, sed per accidens illi conuenit, quatenus accidit illum esse priorem ex

his qui in orbe sunt. Vnde si quiesceret motus supremi cœli, qui nunc est omnium primus, adhuc esset tempus, sed in alio motu, puta in eo qui tunc esset primus, nec migraret accidens de vno subiecto in aliud, nec motus acquireret aliquid de nouo, sed solùm tolleretur ab illo habitudo ad aliquid prius. Qui autem post iudicium deambulat, ex motu aliquo artificiali potest tempus cognoscere, quod fieret, si motus non cessaret.

Ad tertium, Dico quod S. Doctor non accipit tempus in propria significatione, quatenus est numerus motus summè æquabilis, sed communiter, pro duratione cuiuscunque motus. Vnde & in bello Iosue per motum ipsius pugnæ, vel quempiam artificialem poterant milites cognoscere quantum Sol stetisset, qui motus non fuit tempus, sed illius signum. *Vide Alphonsum Tostatum super lib. Iosue cap. 10. Quæstione 37. & deinceps.*

ARTICVLVS V.

Vtrum sit vnum numero tempus omnium temporalium.

VIDETVR quod non. *Primò*. Sicut se habet locus ad locata, sic tempus ad temporalia, vtrumque enim est mensura exterior; locus mobilis, & tempus motus. Sed non est vnus numero locus omnium quæ continentur à loco. Ergo nec erit vnũ tempus omnium quę sunt in tempore. Minor patet, quia plura corpora

Et Locus & Tempus mensura.

pora non possunt naturaliter esse in eodem loco, vt antea probauimus.

Secundò. Vnusquisque motus habet suum prius & posterius, distinctum à reliquis motibus, Ergo & tempus. Conseq. quia numeratio prioris & posterioris in motu, est formale in tempore, vt dictum est.

Tertio. Arist. *in textu* 30. ait: *In omnibus tempus esse videtur, in terra & mari, atque in cœlo, quia motus passio quædam est, vel habitus, hæc autem mobilia & simul sunt potestate & actu.* Ergo.

Respondeo, Quod vnum esse tempus secundum genus manifestũ est, quia in ratione mensuræ ad solã quantitatẽ reducitur, vt alias fuit discussũ; similiter secundũ speciẽ, quãuis nó ita euidenter. sicut. n. quantitas cõuenit cuilibet corpori ex hac ratione cõmuni, quia est capax ad recipiendũ trinã dimensionẽ, quæ est longitudo, latitudo & profunditas, illa autẽ ratio est eadẽ in omni re corporea, ac proinde eiusdem est speciei & quãtitas: ita similiter cum tempus primo mobili conueniat ex hac causa, quia habet partes numerabiles in motu, sc. *duo nũc* terminantia successionẽ per modũ prioris & posterioris, & hoc idem in alijs motibus inuenitur, apparet ipsum vnius speciei esse in omnibus temporancis. Non tamen tot erunt tempora numero distincta, quot motus, quia solum in primo est mobili tempus tanquam mensura in mensurato, & accidens in subiecto, in alijs verò non, vt in subiecto,

sed mensurato extrinseco, & consequenter numerus prioris & posterioris in motu primo est tempus per antonomasiam, in reliquis autem, quædam durationes temporaneæ, sed non tempora absolute, alioqui plura darentur simul æqualia, posito enim quod deambulatio mea tẽpus diceretur, esset proinde certa hora, nempe octaua, & si tunc alius deambularet, esset alia simul hora octua, quod si mille hominum deambulationes darenter vno die, nunquid tibi verisimile videtur, mille tempora transijsse, & simul mille horas? aliud tempus Coloniæ, & aliud Lublini? Vnum ergo idemq; tempus ad tot motus inuicem discrepantes extenditur, sicut numerus formalis dissimilium naturarum subiectis accommodari solet, vt cum duos libros, aut duo Monasteria eodem binario numeramus.

Tempus vnum est.

Conclusio. Vnum est numero tempus respectu omnium temporalium. *Probatur.* Nullum accidens potest multiplicari in plura indiuidua numero, nisi etiã multiplicetur illius subiectum, cui primò & per se conuenit. Sed mensura temporalis vni tantum mobili regulari, vniformi, & eodem modo se habenti conuenit. Ergo

Ad primum igitur dicendum, Nego Maiorem. Nulla enim mutatio est, cui Locus conueniat intrinsecè. sed in corpore continente est velut in subiecto, tempus autem in primo motu per inhæsionem intrinsecam, ob rationes positas, & non in alijs.

Ad secundum, Distinguo Conseq. Per motum mensurantis, *concedo*; inhærentis, *nego*. vni enim subiecto inhæret, sed plura mensurat.

Ad tertium, Eadem est solutio. non enim vlna vbique dicitur esse propter res extrinsecas quæ vbique sunt, nec in pluribus locis, vt patet.

ARTICVLVS VI.

Vtrum sit idem numero instans in toto tempore.

VIDETVR quod non. *Primò*. Prius & posterius in tempore, nequeunt esse simul, cum sint partes successionis, cui hoc repugnat. Ergo non est idem numero instãs in toto tempore. *Conseq.* Nam illa sunt simul, quæ sunt in eodem instanti.

Secundò. Omne Ens continuum habet duo extrema quibus clauditur illius continuitas. Sed Tempus est mensura intrinseca motus continui. Ergo habet duo instantia.

Tertiò. Qui aufert plura numero instantia à tempore, eo ipso annum millesimum qui futurus est, Antichristum, & finem mundi potest demonstrare, Sed hoc est contra vsum communiter loquentium, & sapientum & vulgarium. Ergo idem quod prius. Maior patet, quia vt dicis in vno sunt instanti.

Respondeo, Quòd vt superius habitum est, Ens permanens in hoc à successione distingui-

tur, quia in permanentibus fieri est via ad esse, & nondum res actu existunt quando fiunt, à successiuis autem idem est esse & fieri, & si quando contingit illa non fieri, amplius non sunt, vt est manifestum in motu physico, qui cum sit actus imperfecti & in potentia existentis, semper expectat aliquid futurum, ad suæ speciei perfectionem Ex hoc autem prouenit, quod permanens nonnisi ad actum omnium partium reducitur, cui si aliqua deesset pertinens ad complementum & integritatem illius, imperfectũ diceretur: è contra verò successiuum Ens per aliquid indiuisibile est actu: pars enim continua hoc præstare non potest, quæ vt sic habet prius & posterius, tanquam partes successionis & fieri. Hoc autem indiuisibile est vnum in tempore, ex cuius fluxu relinquitur cõtinua duratio, eo planè modo, sicut Mathematici ex ductu alicuius puncti super planiciem apprehendunt vestigium diuisibile, & vtuntur illo vt duobus, nunc vt fine, nunc vt principio. Dico, vnum secundùm rem, multiplex autem ratione, quia concipiendo fluxum in quo fuit antea, & modò non est, dicitur præteritum; si aliquando erit & nõdum est, nunc futurum, quod autem non fuit nec post erit, instans, vt ipsa vocis etymologia comprobat. Vnde est illud Senecæ *lib. 6. naturalium quæstion. Nec quod futurum est meum est, nec quod fuit; in puncto fugientis temporis pendeo.*

Motus physicus actus imperfecti.

Con-

Conclusio. Instans quod fluit in tempore, idē est numero per omne tempus. *Probatur.* Ex Aristotele *in textu* 104. *Momentum*, inquit, *in tempore. subiecto idem est, prius namque est aut posterius quod est in motu, ratione autem aliud.* Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Consequentiam. Non est idem secundùm rationē, *concedo*, realiter, *nego*. concipitur enim per modum futuri & præteriti. Vel si loquamur cum Iauello, Nunc intrinsecum, quod terminat tempus, continuat, & diuidit, nequaquam idē est, sed extrinsecum, quod fluxu imaginario causat successionem.

Ad secundum. Distinguo Maiorem. Si est continuum permanens, *concedo*; successiuum, *nego*, vt dictum est.

Ad tertium, Nego Maiorem. Licet enim hoc instans vnum sit, non tamen eadem est ipsius ratio. Interim dum huic Opusculo finem impono, videas Iauellum declarantem quid sit instans intrinsecum & extrinsecum *in Q. 25. & Capreolum in 2. Distinct. 2. Q. 2.* cuius doctrinam immeritò reijcit Cardinalis Toletus *in præsenti Q. 13.* Sit igitur laus Deo glorioso, qui nos ad finem quarti libri, meritis, credo, Sacrosanctæ Virgini s nec non D. Thomæ Præceptoris Angelici patrocinio dignatus est deducere.

IN QVINTVM LIB. ARISTOT. DE PHYSICA AVSCVLTATIONE QVAESTIONES.

SVMMA TEXTVS.

PRIMA *Conclusio.* Transmutatur omne ex parte mobilis, mouentis, & formæ, ratione diuersa. *Probatur.* Eorum quæ mouentur, quædam sunt huiusmodi ex accidente, vt album deambulare, quia Socrates cui hoc accidit esse; & quædam non, quia nec merito alicuius partis, sed ex eo quod primum: & hoc est secundum seipsum. Quod autem mouet, aut secundum accidens dicitur, vt musicus ædificat: aut quia partium huius aliqua dicitur huiusmodi, vt cum Socrates percutit, manu enim percutit; aut per se primò, quia curat medicus. Et quoniam omnis transmutatio ex quodam in quiddam est (post aliud enim aliquid) idcircò est quadrifariam, aut ex subiecto in subiectum, aut ex non subiecto in non subiectum, aut ex subiecto in non subiectum, aut ex non subiecto in subiectum. dico autem *subiectum*, quod affirmatione monstratur, non subiectum quod negatione, sicut ex calido est frigidum, ex non homine

Transmutatio quadrifariam fit.

homine homo, quod fieri generatio est; & non homo ex eodem, quod corruptio. Ergo vt prius.

Secunda Conclusio. In substantia motus non est, neque in eo quod Ad aliquid, nec in motione, sed quantitate, qualitate, & Vbi. *Probatur quoad singula.* Nihil substantiæ aduersatur, & motus est inter contraria. stat etiam aliquid relationem acquirere, altero solum patiente, & hæc ad aliquid dicuntur, vt cum ex non albo albus, & ratione alterius, similis. Si autem mutationis mutatio vlla foret, dico, *tanquam termini à quo & ad quem*, ægrotatio ad ægritudinem simul & sanationem ex sanitate est, sicq; idem & sanitatis & ægritudinis afficitur motu. Restat igitur in qualitate motum esse, vbi *alteratio*; in quantitate *accretio & imminutio*, in Vbi, *latio*. Ergo nec in substantia, & deinceps.

Tertia Conclusio. Simul, separatim, tangere, intermedium, continuum, & quibus singula hæc cõgruere apta sunt, diuersa. *Probatur.* Loco enim simul dicuntur, quæ in vno primo sunt, & quæ in alio separatim, tangere ea quorũ extrema simul, intermediũ quo res quæ mutatur peruenire apta est prius, continuũ autem quod in motu nihil aut minimũ intermittit. Ergo diuersa.

Quarta Concl. Motus dicitur vnus, nõ vno modo. *Probatur.* Aut enim sunt genere, qui ad formas eiusdẽ Categoriæ proficiscũtur, vt omnes alterationes; aut specie, qui in formas, desinũt

eiusdē speciei, vt dealbationes, simpliciter autem vnus, qui essentia vnus est & numero, tria enim numero sunt, *id quod*, *id in quo*, *& quādo*: dico *quod*, quādo aliquid quod moueatur, vt hominem esse necesse, hoc autem *in aliquo*, vt in loco, vel affectionibus, & *quando*. in tempore enim mouentur quælibet, quando itaque id in quo vnum, quod vnum & quando, & motus numero, Ergo diuersimodè.

Motus. Quies.

Quinta Conclusio. Et motus motui cōtrarius esse, & quies videtur. *Probatur*. Is enim qui in contraria & ex contrarijs est, alteri semper qui non ex illis velut illa est, contrarius, vt ægrotatio ex sanitate in ægritudinem, & sanatio è conuerso abit. quies autem in termino à quo, motui qui ab illo contraria, vt in albedine ei qui ab albo. quin etiam & quies vna in termino à quo vnius motus, alteri in eodem termino motus alterius, sed nunquam quies in termino ad quem motui qui in ipsum repugnās est, vt patet. Ergo vera Conclusio. Quid igitur Motus, & Quies, quot mutationes & quales sint, ex his quę dicta sunt constat.

QVAE-

QVAESTIO XX

De diuisione motus in species.

ARTICVLVS I.

Vtrum motus quilibet sit de subiecto in subiectum.

VIDETVR quod nō. *Primò.* Principia motus tria sunt, *materia* vel ut subiectū, *forma* vt terminus ad quē, & *priuatio* à quo, vt *in 1. lib habitū est.* Ergo si omnis motus est de priuatione ad formā, non erit de subiecto in subiectum, quia priuatio motui non subiicitur.

Secundò Accidens nō potest migrare de vno subiecto in aliud, vtpote quod vnitatem numericā desumit ab illo. Ergo nec motus, alioquin nunquam esset vnus numero, quod sensui repugnat.

Tertio Thomistæ docent cum Præceptore Angelico *in 8. Metaph.* quod ideo aliqua forma intenditur, quia diuersimodè actuat idem subiectū, & magis perfectè ab illo participatur, sed intensio formæ non est intelligibilis sine motu. Ergo idem quod prius.

Respondeo. Quod ab hoc loco incipit Aristot. tractare de motu cōparatiuè. in præsenti enim cōfert eum cū partibus subiectiuis; in sexto cū quantitatiuis; & in reliquis cū primo motore. Vt autē satisfacias præsenti Articulo, notandū est discrimen inter *mutationē* & *motū*; quia *mutatio* sumpta rigorosè pro introductiōe formę in in-

Mutatio quid.

in instanti, in subiecto quidem est, sed non illud denominat, denominat autem terminum. illud namque subiectum non est Ens in actu, sed ad actum potentia, quę in principio generationis sub priuatione & non esse est, in termino sub forma. quod autem terminat generationem actu, est genitū actu. rei enim possibilis in quantum huiusmodi, nulla est generatio: ac proinde non sine causa est ingenerabilis & incorruptibilis materia, quamuis generationi & corruptioni per se primò subijciatur. vt enim verbis Caietani loquar *in quodā Articulo tertiæ partis*, est illa subiectum inhæsionis sed non denominationis, homo enim dicitur genitus, licet propriæ generationi non subijciatur, alioquin geniti esset generatio, quod est inuertere omnium Philosophorum principia. *Motus* autem non est actus Entis in pura potentia ad esse, sed secundum quid, hoc est, ad esse per accidens, proinde supponit subiectum in actu simpliciter existens, & ratione termini denominat ipsum existens secundum quid. Et hoc est quod ait Arist. *Omnis transmutatio ex quodam in quiddam est, post aliud enim aliquid.* Nomine autem *subiecti*, non appellat id de quo in Propositione quippiam dicitur, sed quod sub vtroque termino motus existit, permanens in tota successione actu, ita vt possit demonstrari affirmatiuè. Vnde generatio quæ non est ex subiecto in subiectum, non est per se motus, sed quædam mutatio, vt dixi, intel-

Motus.

Subiectū.

telligendo per non subiectum id quod significatur sub negatione formæ, & similiter corruptio.

Conclusio. Sola mutatio de subiecto in subiectum est motus, propriè loquendo. *Probatur.* Mutatio ex non subiecto in subiectum, nullam speciem motus constituit, quia est generatio, neque ex subiecto in non subiectum vt corruptio, aut ex non subiecto in non subiectum, quia inter extrema merè negatiua, nequit esse motus, actus enim ille est, vt patet. Ergo relinquitur quod ex subiecto in subiectum.

Ad primum igitur dicendum, Nego Anteced. Sunt enim illa mutationis & non motus principia, cuius termini tanquam esse & non esse opponuntur, subiectum pura potentia, & mensura instans.

Ad secundum, Nego suppositum. non enim motus intelligitur esse de vno subiecto in aliud realiter distinctum, sed de esse potentiali ad actuale eiusdem subiecti, vt dictum est.

Ad tertium, Eadem est responsio.

ARTICVLVS II.

Vtrum motus ad tria solum Prædicamenta terminetur.

VIDETVR quod non. *Primò.* Augmentatio non per se terminatur ad quantitatem. Ergo nullus motus. *Antecedēs,* nihil enim aliud est,

est, quàm additio materiæ substantialis ex alimento, & hoc supposito, consequitur maior extensio, vt patet in viuentibus.

Secundò. Quod per se conuenit alicui generi, cuilibet speciei illius conuenit, vt in regulis Antepræd icamentalibus docetur. Sed ad figuram non est motus, cui nihil contrariatur, motus autem est inter extrema repugnantia. Ergo nec ad qualitatem.

Tertiò. Vbi idem est quod esse in loco, siue relatio præsentię locati ad locum, Ergo nequit esse terminus in motu locali. *Cónseq.* Ad relationem enim non est per se motus, vt infra disputabitur.

Actio & passio vt in motu.

Respondeo. Quod actio & passio sunt quidam termini generales motus formaliter sumpti in prædicando, sed non in essendo, ita enim solũ dicit fluxum formæ ad terminũ, ab aliquo agente, & in aliquo subiecto, vt patet in calefactione ignis secundũ quam tabula dicitur calefacta, & ignis calefaciens. ineptè enim calefactio nominatur qualitas, licet ad calorem sit motus, sed rationabiliter actio vel passio: ad quæ genera non terminatur motus. Motionis enim non est mutatio. Si autẽ accipiatur motus pro materiali, siue pro forma fluente quæ nõ peruenit ad terminũ, reductiuè ponitur in genere termini, nõ enim est præter res ad quas est. Cæterũm duç conditiones requiruntur ad terminandũ, *secundum Arist. in præsenti.* Prima est habere contrariũ, sumendo contrarietatem

non

non pro oppositione extremorũ, quatenus maximè sub eodẽ genere distant, eidéque subiecto vicissim inhærent, cuiusmodi est in qualitate; nec pro repugnantia quam habent differentię diuidentes genus, quarũ vna semper est imperfectior altera, tanquam illius priuatio, (est enim in vnoquoque prædicamento, sicut corporeũ & incorporeũ in substantia) sed pro oppositione extremorũ, quæ positiua sunt, & repugnat illa esse simul. habẽt enim distantiam vel secundũ intensionem graduũ, vt summè calidum potest per media crescere ad perfectionẽ summè frigidi; aut secundũ extensionẽ, vt quantũ vnius cubiti, & aliud sex cubitorũ, aut secundum distantiã localem, sicut *Vbi* supremũ respectu infimi. Altera conditio est, aduenire subiecto cum illius mutatione, quæ est actio realis vel passio, vt cum homo sanatur. Et quoniã hæc nonnisi in quantitate, qualitate, & vbi reperiuntur, idcirco ad tres duntaxat Categorias motũ terminari est necesse, in quibus & formæ seruant contrarietatẽ prædictã, & cum mutatione subiectis aduenium, vt patet applicando singula singulis. *Motus in tribus Prædicamentis.*

Conclusio. In tribus solum prædicamentis est per se motus *Probatur* Authoritate Philosophi *in textu*, & etiam *ex Corpore.*

Ad primum igitur dicendum, Nego Anteced. Imò verò licet per augmentationẽ adijciatur noua pars substantiæ, quia tamen non producitur nouum suppositum, sed id quod erat minus

minus fit maius, per se primo acquiritur quantitas & extensio, sicut cum certa rarefit, aut puer adolescit.

Ad secundum, Distinguo Maiorem. Si est perfectas vniuersalis, *concedo*, indefinita, *nego* non enim ex eo dicitur ad qualitatem fieri motus, quasi ad omnē illius speciē terminetur, sed quia ad aliquas, vt est habitus & dispositio, passio & forma passibilis, & non amplius.

Ad tertium. Nego quod *Vbi* sit relatio; iam enim in superiori libro ostensum est, quod in loco nonnisi duo respectus sunt, distantiæ ad partes vniuersi, & continentiæ ad locatū Vbi autem est relatio locati ad locū, hoc est contineri ab ipso, & licet illam exprimat, non tamen pro illa supponit.

ARTICVLVS III.

Vtrum motus sit aliquid vniuocum ad omnes mutationes in particulari.

VIDETVR quod non. *Primò*. Res diuersorum prædicamentorum, in nullo vniuoco conueniunt, secundū Thomistas. Sed Motus ad diuersa prædicamenta reducitur, vt ostensum est. Ergo non est quid vniuocum.

Secundò. Motus non habet determinatā naturam, & exinde in Postprædicamentis ponitur. Ergo nec aliquē modū prædicandi determinatū potest habere, quod tamen est contra

tra rationem Entis vniuoci.

Tertio. Aristot. *in 8. Physic. text. 55.* ait: *Tribus autem existentibus motibus, alio quidem secundum magnitudinem, alio secundū passionem, & alio secundum locum, quem loci mutationem vocamus, hunc necessarium est primum esse.* Ergo si secundum prius & posterius dicitur motus, non vniuocè.

Motus duo importat.

Respondeo, Quod sicut antea dictum est, motus duo importat. Primò formam fluentem, quæ nondum peruenit ad terminum, & hoc est in ipso materiale, nec habet certam naturam; sed reductiuè ponitur in genere termini, ex quo est in actu completo & perfecto, sicut in dealbatione fluit albedo, in augmentatione quantitas, & esse in loco in latione. Deinde fluxum formæ, vt concipitur sub ratione formali & præcisa. est enim acquisitio continua termini, in quo sensu motus vt à causa efficiente progreditur, est in actione, vt in passo recipitur in passione, quæ sunt duo genera suprema, secundum idem nomen & eandem rationem suis inferioribus conuenientia. Vnde Motus vt actio, est aliquid vniuocum ad singulas species motuum vt actiones sunt, ab agentibus productæ, vt autem passio, ad easdem vt passiones. impossibile enim est procedere formam à principio, & non dici actionem, vel recipi in subiecto, & passionis vocabulum subterfugere.

Conclusio. Verè motus est aliquid vniuocum

ad omnes mutationes in particulari. *Probatur* ex Angelico Doctore *in 1. Sent. Dist. 15. Q. 4. art. 3. Omnes*, inquit, *species motus æqualiter conueniunt in ratione communi motus, tamen secundum suum esse proprium, motus localis est prior alijs.* Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem. Ad diuersa reducitur, Considerando motum materialiter & pro forma fluente, *cõcedo*: Pro fluxu, *nego*, vt dictum est.

Ad secundum, Distinguo Anteced. stando in ijsdem terminis.

Ad tertium, Explico mentem Philosophi. Necesse est esse primum, vt comparatur ad singulas species motuum, *Concedo*; in tertio communi, quod est actio vel passio, *nego*. in quolibet enim genere est aliquid prius secundum esse, licet non secundum rationem generis, vt experientia comprobat.

ARTICVLVS IV.

Vtrum motus possit esse ad relationem tanquam ad terminum.

VIDETVR quod sic. *Primo* Relatiua habent contrarium, neque subiectis absque eorum mutatione aduenium, Ergo possunt terminare motum. Istæ enim conditiones requiruntur, vt dictum est. *Antec.* Nam quod habeant contrarium, Aristoteles in Logica demonstrat. virtus namque & vitium huiusmodi.

di. impossibile etiam est aliquid de nouo aduenire alicui distinctum realiter ab eo cui inest, absque mutatione.

Secundo. Qui dealbat duos parietes æquali dealbatione, in vtroque ponit similitudinem. Sed illa est relatio. Ergo motum terminat.

Tertio. Quidquid non est quod erat, vel est quod non erat, habet aliquid sui productiuum, quia nihil seipsum de non esse educit. Sed relatio est huiusmodi. Ergo producitur.

Respondeo, Quod motus terminatur ad aliquam formam duobus modis, *principaliter*, & *secundariò*. Illa terminat *principaliter*, sine qua nec esse nec intelligi potest, vt albedo respectu dealbationis, quia ad ipsam est motus. *Secundario* autem quæ non concurrit ad motum vt sit, est tamen alicui coniuncta quod per se terminat & complet, vt color in albedine per dealbationem producta, & risibilitas in homine. Manifestum est autem, quod relatiuorum natura non solùm desumitur ab extremis, nec solum à subiecto, sed etiam à fundamento, puta ab alio accidente absoluto, ad cuius productionem in virtute & in radice producitur relatio, adhuc nullo existente termino. sunt enim vna eademq; res. producitur, inquam, inchoatiuè & virtualiter, inquantum est in re vnde nata est sequi naturali sequela, posito termino, & cum insurgit ille, mensuratur relatio, & quasi actio completur quoad suum formale. Vt si aliquis per sui mutationem efficiatur mihi

Motus terminatur duobus modis.

æqualis me non mutato, ista æqualitas prius erat in me quodammodo, sicut in radice ex qua habet esse reale. quia enim talem habeo quantitatem, competit mihi quod sim æqualis omnibus illis qui tanta extensione afficiuntur, non per aliam mutationem, quam ipsius fundamenti.

Conclusio. Ad relationem non est per se motus tanquam ad terminū. *Probatur.* Ex Arist. *in textu* 10. cùm ait: *Neque in eo motus quod est ad aliquid. fieri enim potest, vt altero mutato, alterum verè dicatur, quanquam nihil mutatum. itaque eorum motus ex accidente est.* Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego anteced. quoad secundam partem. non enim subiectum cui relatio aduenit mutatur secundum rem de nouo, licet aliter se habeat secundum rationem, vt dictum est.

Ad secundum, Distinguo Maiorem. Ponit similitudinem, Per se primo *nego*, ex consequenti & secundariò, hoc est ratione fundamenti ex quo pullulat relatio, *concedo.*

Ad tertium, Eadem est responsio. *Et hic finitur Quæstio.*

QVÆ-

QVAESTIO XXI.

De vnitate & oppositione motuum.

ARTICVLVS I.

Vtrum motus desumat vnitatem specificam à termino.

VIDETVR quod non. *Primò.* Illud quod non est, non confert speciem rei existēti. Sed posito motu non est terminus. Ergo non desumit ab illo speciem. *Minor.* si enim posita dealbatione esset albedo, poslet in aliquo instanti tota existere, quod successiuis repugnat.

Secundò. Motus naturalis ignis, & violentus lapidis proiecti differunt specie; sed ad eundem sunt terminum, puta sursum. Ergo non desumitur vnitas specifica ex termino ad quē, sed ex principio motus, quod est in igne intrinsecum, & non in lapide.

Tertiò. Generatio & corruptio differūt specie. Sed non ex termino ad quem, qui in corruptione nihil est positiuum, & sicut generatio est accessus ad esse, ita corruptio recessus ab eodem. Ergo vt prius.

Respondeo, Quod *dare speciem* alicui & *esse* illius *speciem,* non idem significant. quod enim facit differre vnū ab alio secūdum essentiam, dat speciem naturalem, & quod secundū quid accidentalē: esse autem speciē alicuius naturę, est ha-

Dare speciē, & esse speciem.

est habere illius differentiam, sicut homo dicitur species animalis Manifestum est autem, quod motus non est species sui termini, nec terminus motus, quia est actus Entis in potentia, in termino autem est simplex actus, quamuis non purus, & ita non est motus in termino, sed complementum & perfectio. Et quoniam præter extrema, inuenitur mouens & mobile, nam quod primum mouetur, & id quo, & id ex quo, diuersa sunt, vt dicit Arist. idcircò nó desumit speciem motus ab vnitate specifica mouentis, ita quod duæ causæ diuersarum specierum necessariò requirantur ad producendum duos motus in specie, alioquin proiectio lapidis ab homine & ab elephante distinguerentur, cum tamen vtriusque sit eadē definitio, vt patet: neque ab vnitate mobilis, quod illi subijcitur, quia est alterius generis, imò nec à termino à quo, qui per motū deseritur, & nonnisi materialiter concurrit, penes materiam verò nulla est distinctio, & perfectiori modo formæ in motu habet esse quàm in termino à quo, vtpote propior ad quem, in quo vltimatè perficitur, quia in termino à quo est potentia tantum, in motu actus potentiæ permixtus, & in ad quem sine omni potentia, præterea in termino à quo materialiter, in motu transeunter, in ad quem, formaliter. Ex hoc igitur postremo desumēda est vnitas, prout formaliter, vltimatè, & sub vna ratione terminat.

Motus v-

Conclusio. Motus quilibet desumit vnitatem spe-

ſpecificam ex termino ad quem. *Probatur.* Ex Philoſopho *in tex. 4. Magis*, inquit, *ex eo ad quod quàm ex eo ex quo mutatio nominatur.* Ergo. *nitas ſpecifica vnde.*

Ad primum igitur dicendum, Diſtinguo Mmo. Poſito motu non eſt terminus, formaliter, *concedo*; tranſeunter, *nego.* non tamen propter exiſtentiã terminus ſpecificat, ſed quia ad ipsũ ex natura motus ordinatur, & ſecundũ diuerſitatẽ ordinis eſt diuerſitas ſpeciei, ſicut non exiſtẽte colore in actu, adhuc viſus diſtingueretur à guſtu.

Ad ſecundum, Diſtinguo Maiorẽ. Differunt ſpecie eſſentiali, & inquantũ ſunt ad terminos, *nego*; accidentali per reſpectum ad mouens, *concedo.*

Ad tertium, Diſtinguo Maiorẽ De ſpecie mutationis *concedo*, motus, *nego*: quia ſe habẽt velut acquiſitio & deperditio eiuſdem termini.

ARTICVLVS II.

Vtrum vnitas numeralis motus deſumatur ex vnitate mobilis, termini, & temporis.

VIDETVR quod non. *Primo.* Si aliquod corpus viuum ab alto cadens in medio aere moriatur, motus ille vnus eſſet numero, quia continuus; ſed mobile diuerſum ſpecie & numero, quia viuum et mortuum. Idem comprobat experientia in arbore partim viridi & partim arida. Ergo non requiritur vnitas mobilis.

Secundò. Motus circularis & rectus distinguuntur numero. Sed possunt esse ad eundem terminum, vt si aliquod corpus per lineam rectam moueretur ad locum, & aliud circulariter. Ergo non requiritur vnitas termini.

Tertiò. Tempus est vnum numero respectu omnium temporalium, vt dictum est supra. Ergo nihil opus erat ad singularitatem motus ipsum concurrere.

Motus est accidens.

Respondeo, Quod omnis motus si accipiatur in rigore vocabuli, est de genere accidentis, cui proprium est, esse vnum numero diuisum ab omni alio propter subiectum, quo etiã mediante existit, eadẽ enim principia entis sunt quæ vnius, quemadmodum albedo equi alia est numero ab albedine papyri, quia aliud & aliud subiectũ. Est etiam de numero successiuorũ, cuius partes sunt in fluxu continuæ, nihil autem continuari potest absq; cõmuni termino, vt in substantijs incorporeis est manifestũ, & aliqua habent terminos, sed ad continuandum ineptos, vt linea & deambulatio semper discreta (æquiuoca enim & diuersæ rationis sunt) quæ verò eiusdem, facilè continuãtur, vt motus, cuius partes desumunt speciem ex termino ad quem, vt dictũ est. Denique mensura illius est tempus, quia idem est motum esse vnum, & esse vnũ continuũ, in quo prius & posterius est accipere, nec intersecatur nisi per mediam quietem. Et quoniã sicut simpliciter ad simpliciter, sic tale ad tale, ideo ad virtutẽ nume-

mericam motus requiritur vnum numero mobile, vnũ tempus in particulari, & vltra hoc vnus terminus. Vnde qui musico ludit instrumento, & primò summã chordam pulsat, mox ad infimã transit, medijs non pulsatis, nõ vnum formabit sonum numero, propter chordarum pluralitatem, nec deambulatio equi est idem motus cum calefactione eiusdem, quia terminus deambulationis Vbi, & calefactionis qualitas, sicut quando formica trahit granum tritici vsque ad certam distantiã, & paulũ quiescendo continuat motum, non est continuus, neque vnus numero, quia non in eodem tempore vehebatur triticum.

Conclusio. Vnitas numeralis motus consistit in vnitate vnius in quo fit, temporis & subiecti. *Probatur* authoritate Philosophi *in tex.* 35. cuius verba sunt: *Simpliciter autem vnum esse in omnibus his est. etenim in quo est, vnum oportet esse, & indiuisibile, vt speciem, & rursus ipsum quando vt tempus vnum.* Ergo vera est Conclusio.

Ad primum igitur dicendum, Nego Maiorem. Illi enim motus discontinuantur propter mobile, quod est viuum & mortuum esse: partes autem mortuæ arboris continuantur cũ viuis continuatione materiæ sed non formæ, & ita manent secundum rationem imperfectam discretæ. vna enim est veluti priuatio alterius.

Ad secundum, Distinguo. Minorem. Possunt esse ad eundem terminum Entitatiuè & naturaliter, siue vt res est, *Concedo*; formaliter & in

quantum terminus, *nego*. per motum enim rectum acquiritur terminus, secundum totã latitudinem, quasi de nouo factus, per circularem autem tanquam id in quo corpus euoluitur, acquirens nouam in eo dispositionem.

Ad tertium, Distinguo Anteced. Est vnũ numero, secundum se, *Concedo*; in rebus mensuratis, *nego*. Nam cum media quiete motus interrumpitur, non est tempus idem sed multiplex.

ARTICVLVS III.

Vtrum illi motus sint contrarij, qui sunt ad terminos contrarios.

VIDETVR quod non. *Primò*. Augmentatio & Diminutio sunt motus contrarij, vt patet. Sed non habent terminos contrarios. Ergo non desumitur contrarietas motuum ex terminis, *Minor*: quia quãtitas maior & minor sunt termini, & secundum Arist. *in Logica*. Quantitati nihil est contrarium.

Secundò. Illa sunt contraria quæ maximè distãt sub eodem genere. Sed motus ad vbi sursum & ad vbi deorsum minimè distant, cùm vtriusque sit eadem definitio, ac proinde species. Ergo vt prius.

Tertiò. Arist. *in tex. 43*. docet manifestè, quod possũt esse in aliquo motu termini à quibus diuersi & cõtrarij, & tamen vnũ habere terminũ ad quẽ, sicut moueri ex calido & frigido ad tepidum, vel ex albo & nigro ad fuscum. Ergo.

Re-

Respondeo, Quod, sicut docet Angelicus Præceptor *in tex. 10. huius libri*, *Contrarietas* duplex est. Quædam *imperfecta*, & est oppositio duorum extremorum quæ penes se retinent cómunem radicem contrarietatis, hoc est, excellentiam cum defectu, siue priuationem cum habitu. nam quælibet contraria ita se habent adinuicem, quod vnum perfectius est altero, vt in singulis generibus Entium est manifestum, & præcipuè substantia. duæ nãque differentiæ diuisiuæ illius, & duę species quæ per eas constituuntur, habent se vt habitus & priuatio, sicut corporeum & incorporeum, animatum & inanimatum, & deinceps. Alia est *perfecta*, consistens in oppositione duarum formarum, quæ vltra communem contrarietatis originem, maximè distant sub eodem genere, & sunt acquisibiles per motum subiecti, aptæ inesse eidem cum successione. Manifestum est autem, quod radicalis & imperfecta contrarietas ad mõtum non sufficit, quilibet enim cuilibet esset contrarius, & ad substantiã terminaretur, quod falsum est, quandoquidem nihil in instanti mouetur, & generatio substantiæ est instantanea. De formali autem loquendo, magis rationabile videtur, vt contrarietatem motuum penes terminos qui acquiruntur pensemus, nam forma quæ non est, non dat esse rei, sed forma quæ est, termini verò à quibus, deperduntur, & ad quos, acquiruntur, ita planè, vt sicut

Contrarietas duplex.

cut motus incipitur ab vno termino ad alterum, simul incipit habere esse idem realiter cum termino ad quem est, ita incipit habere esse contrarium ex eodem termino. non enim est præter res ad quas est, vt antea probauimus. Nec solùm hoc verum est de motu, qui est ab vno extremo ad aliud, sed etiam qui ad medium inter extrema, per se enim in illis attenditur contrarietas ex termino ad quem, & sic medium erit contrarium vtrique extremo, vt ascensus ignis à terra ad mediam regionem aeris, contrarius est descensui à concauo Lunæ vsque ad eandem mediam regionem, quæ est quodammodo contraria ascensui & quodammodo descensui, sicut inter qualitates rubeum est quodammodo nigrum contrarium albo, & quodammodo album nigro contrarium, ac proinde vtimur illo tanquam duobus contrarijs.

Vnde defumatur.

Conclusio. Contrarietas in quolibet motu per se primò desumitur ex termino ad quem, & nō à quo. *Probatur.* Motus qui identificantur terminis contrarijs, sunt contrarij, Sed omnes motus qui sunt ad terminos contrarios identificantur terminis contrarijs, vt dealbatio albedini, denigratio nigredini, Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorē. quando autem Philosophus negauit contrarium quantitati inesse, non est absoluta locutio sed comparatiua, respectu nimirum qualitatis, in qua est perfectissima contrarietas, & secundùm

cundum omnes conditiones. Vel, si ita loqui expedit, Quãtitatis nihil est contrarium, vt intelligitur nudè accepta, & in eo quòd quãtitas; sed indutæ aliquam aliam rationem, contrarium inuenitur, *teste Caietano in Prædicamentis.*

Ad secundum, Distinguo Minorem. Minimè distant, Ratione quantitatum, *concedo*; ratione vbi, & virtutum physicarum, *nego*. Sursum enim & deorsum, vt sunt contraria, aliquid circa loca potius quàm loca significant, secundum tamen veritatem, distantia non vniuocè dicitur de locali & contraria, sed analogicè.

Ad tertium. Distinguo Anteced. & simul explico Philosophum. De vno termino ad quem, sub ratione formali diuersa, *concedo*, sub eadem *nego*: quia enim tepidum est quodammodo calidum contrarium frigido, & quodammodo frigidum contrarium calido, bis ratio contrarij numeratur in ipso, & vtimur illo tanquam duobus, vt dictum est.

ARTICVLVS IV.

Vtrum corpus quod mouetur de vno contrario in aliud, moueatur vnico motu vel diuersis.

VIDETVR quod diuersis. *Primò*. Corpus quod calefit ad calorem accedit, & à frigiditate recedit, Sed accessus & recessus sunt circa qualitates specie & realiter diuersas. Ergo & motus diuersi.

Secundo. Cum ex albo fit nigrum, est ibi flu-

fluxus albedinis qui motus est, & similiter nigredinis, albedo enim tunc acquirit non esse, post esse, & nigredo esse post non esse. Sed tales termini opponuntur adinuicē. Ergo & motus.

Tertio. Motus à contrario in contrarium, prius attingit mediū quàm extremum. Sed secundū Aristotelem 10. *Metaph.* mediū differt specie ab extremis. Ergo & motus ad ipsum, ab eo qui ad extremum.

Motus duo termini, &c.

Respondeo, Quod omnis motus dicit intrinsecum ordinem ad duos terminos, à quorū vno incipit, & desinit in altero vterque positiuus est, sicut de quodam in quoddam, & de subiecto in subiectum, vt explicauimus antea: mutationi verò proprium est per vnum extremū affirmatiuè significari, & negatiuè per alterum, quia vel de esse negato est ad esse affirmatū, vt generatio; vel de affirmato ad negatum, tanquam corruptio. illud enim genitum est quod prius non erat, & corruptum quod erat. Hoc autem in proposito est manifestum, quoties enim contingit subiectum de vno contrario moueri ad aliud, interueniunt aliquæ mutationes & aliqui motus. Nam prius mutatur terminus à quo per corruptionem, deinde ad quem per generationem: quia in termino à quo denigrationis ex albo fit non album, & in ad quem ex non nigro fit nigrū. Præterea in termino à quo est motus remissionis, quia ex albo minus albū, in ad quē intensionis, vtpote nigrum. Vbi generatio

vnius

vnius terminus, & corruptio alterius, distinguuntur specie & realiter inter se, quemadmodū intensio termini ad quem, non est eadē res cum remissione à quo. Præter has autem mutationes & motus terminorum, est principalis motus subiecti, qui est de vno contrario in aliud, solo intellectu ab intensione et remissione vtriusque termini differens.

Conclusio. Motus subiecti quo de vno contrario mouetur in aliud, est vnus realiter. *Probatur.* Ex Arist. *in text 47. Non est autem ei qui in contrarium, contrarius is qui ex contrario. vnus enim atque idem est: quanquam ratio non eadem, perinde nec ratione idem est.* Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Conseq. Sunt diuersi per ordinē ad extrema, *concedo*; ad subiectum, *nego*, vt explicatum est.

Ad secundum, Eadem est responsio: corruptio tamen termini à quo, & generatio ad quem, potius mutationes sunt quàm motus, quia non esse à quo, trahitur ad aliquid de nouo existens et genitum.

Ad tertium, Distinguo Minorē. Si est medium per compositionem vtriusque extremi, sicut rubeum & pallidū, *concedo*; secundum latitudinem formę fluentis in motu, et intēsionem illius *nego*: quemadmodum calor vt tria in medio, & sex in termino.

AR-

ARTICVLVS V.

Vtrum motus contrarietur quieti.

VIDETVR quod non. *Primò.* Omnis motus ordinatur ad quietem velut ad finẽ. Sed nihil est ordinabile ad contrarium, ordo enim quædam perfectio est, oppositа verò nõ se perficiunt, sed destruunt. Ergo motus non contrariatur quieti.

Secundò. Quælibet oppositio contraria est inter duo extrema positiua. Sed motus & quies habent se tanquam habitus & priuatio Ergo.

Tertio. Aristot. *in 1. de Cœlo* ait, quod vnum vni tantùm est contrarium, & idem repetit 10. *Metaph. tex.* 14. Sed motus contrariatur motui, vt ostensum est. Ergo non quieti.

Respondeo, Quod quia oppositorum eadem disciplina est, quies autem motui opponitur, operæ pretium est post contrarietatem motuum, de ea quæ est quietum, disputare, siue inter se, siue etiam cum aliquo motu. Duobus autem modis *Quies* accipitur, primò communiter, vt est quædam priuatio motus in subiecto apto, non enim omne quod non mouetur quiescit: sicut non omne cæcum quod non videt, aut non viuens mortuum, sed quod est aptum viuere, Deum namque quiescentem ex eo solum quia immmobilis est, nemo appellat; secũdò pro forma sub qua mobile quiescit, cuiusmodi est terminus à quo & ad quem, sicut

Quies duobus modis accipitur.

cut enim in priori non est motus sed illius initium, ita nec in posteriori, sed terminus formaliter. Et quidem motus non est quieti in termino ad quem contrarius, quia simul acquiruntur, nec mutuo se expellunt, tunc cum calefactio fit, quando fit calidum, imò talis forma est complementum motus & perfectio, à qua vnitatem specificam & individualem desumit: sed in termino quo, sicut quiescere sub albedine, opponitur motui in nigredinem, non autem sub nigro quiescere. Vnde aliter motus motui, & aliter quieti contrariatur. simpliciter namque vbi duo sunt extrema positiua, est contrarietas, qualis inter motuum terminos, & ratione ipsorum inter motus apparet, quies verò est cessatio motus cum aptitudine subiecti: quæ autem sic opponuntur, quodammodo sunt contraria: quia & in his imperfectius habet se tanquam priuatio perfectioris. Adde quod etiam quietes motuum contrariorum in termino à quo opponuntur adinuicem, secundum quod docetur in Topicis, *Quæ sunt contraria contrarijs, sibi inuicem contraria*. Manifestum est autem, quod quietes terminorum à quibus, contrariæ sunt motibus contrarijs, vt quies in sanitate, quieti in ægritudine.

Conclusio. Motus contrariatur quieti in termino à quo. *Probatur.* Illa quies motui priua-

tiuè opponitur, in qua est ad motum potentia, nam priuatio non intelligitur absque aptitudine. Sed in termino à quo ponit potentiam ad motum, tunc enim nondum est factus, sed aptus fieri, cùm autem fuerit quies in termino ad quem, iam amplius motus non est. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Maiorem. Si est in termino ad quem, *concedo*; à quo *nego*: & huic tantùm opponitur, vt dictum est.

Ad secundum, Distinguo Maiorem. De contrarietate propria, *concedo*; communi, *nego*, & hæc vnumquodque diuidit genus, vt *in lib.* 10. *Metaph.* habetur, *text.* 15.

Ad tertium. Explico clarius Philosophum. Vnum vni tantùm sub vna ratione contrariatur, sed non diuersis, vt in pallido respectu albi & nigri est manifestum. *Hæc de libro quinto ad omnipotentis Dei gloriam, & studiosorum vtilitatem sufficiat dixisse.*

IN

IN SEXTVM LIB. ARISTOT. DE PHYSICA AVSCVLTATIONE QVAESTIONES.

SVMMA TEXTVS.

PRIMA *Conclusio.* Fieri non potest vt ex indiuiduis aliquid constet. *Probatur.* Neque punctorum quæ indiuidua sunt, extrema vnum sunt, cùm indiuiduo non sit hoc quidem vltimum, illud verò alia quædam pars, neque etiã simul, cùm rei quæ partibus vacat nullum sit extremum, extremũ namque & id cuius est, diuersa sunt. Ergo fieri non potest, sed continuum in semper diuidua erit diuiduum. *Ex indiuiduis nihil constat.*

Secunda Conclusio. Magnitudo & motus eodem modo quoad cõpositionẽ ex partibus se habent. *Probatur.* Cuilibet parti magnitudinis quæ mouetur, respondet sua pars motus, quam aliqua pars temporis metitur, quod si partes magnitudinis diuidi semper possunt, motus & temporis eadem ratione diuidentur, aliàs enim fieri poterit, vt tota magnitudine mota, pars aliqua eius mota nõ sit, aut motus aliquis tempore nullo mensuretur. Ergo.

Tertia Conclusio. Ante quamlibet motus partem mutatum esse præcedit, facta sectione à fine versus principium motus. *Probatur.* Id in quo motum esse quippiam dicimus, est momentum, quandoquidem vt motus in tempore diuisibili est, sic motum esse in indiuisibili. Ergo cum tempus momentis diuidatur, vt linea punctis, quoties tempus in quo motus fit secari poterit, toties mobile dicitur motum, atque adeò sicut ante quamlibet temporis partē præcesit alia, ita aliud indiuisibile & mutatum esse. continuū enim diuisibile in infinitū.

Quarta Conclusio. Fieri non potest, vt aliquid finitum spacium tempore infinito transeat. *Probatur.* Id quod mouetur priorem magnitudinis partem prius transit, quàm posteriorē, & longiori tempore maiorem decurrit magnitudinem. Ergo non est finitum ab infinito mensurabile, sed quodlibet à finito potest absolui.

Quinta Conclusio. Id quod secundum quantitatem indiuisibile est, non contingit moueri. *Probatur.* Si indiuisibile, lationem aliam ve subiret motū, vel interiori esset omninò à termino à quo, vel ad quem, aut partim in vno, partim in altero. si primum, nondum mouetur; si secundum, iam est motum; si postremum, necessariò diuiduum erit, siquidem eius quod per se mouetur, semper vna pars vni parti magnitudinis super quā motus est respōdet, & alia alteri. Ergo vt prius. *Hucusque Aristoteles.*

QVAEST.

QVAESTIO XXII.

De compositione Entis continui ex partibus.

ARTICVLVS I.

Vtrum in omni Continuo inueniantur aliquæ Entitates indiuisibiles realiter.

VIDETVR quod non. *Primo.* Omne accidens reale habet subiectum cui inhæret, sed indiuisibile in nullo est tanquam subiecto. Ergo frustra admittitur. Minor. Neque enim in substantia corporea, nec in continuo, quæ cum sint extensa, nullum habēt proportionem cum Ente indiuisibili.

Secundo. Potest Deus separare punctum extremū a linea; quo admisso, nō daretur actu infinita, vt *in lib. 3.* disputauimus. Ergo partes eius copulantur & finiuntur seipsis, non indiuisibili.

Tertiò. Aristoteles *in 3. de Anima textu 25.* ait: *Punctum autem & omnis diuisio & quod ita indiuisibile iudicatur, vt priuatio.* Ergo indiuisibile sentit non esse quid reale, sed meram negationem.

Respondeo, Quod in præsenti non sumitur indiuisibile pro omni eo quod non habet partes in quas diuidatur, siue à materia separatum existat, vt anima intellectiua. manifestum est enim, quod huiusmod naturæ in continuo positionem non habent, ita

Indiuisibile vt hic sumatur.

vt ratione extensionis vniantur alicui, cum anima sit tota in toto corpore, & in qualibet illius parte: nec sumitur pro cõposito habente quidem partes, sed non potentiam naturalem ad hoc vt diuidatur, cuiusmodi est corpus cœleste. via enim quædam est ad corruptionem diuisio: sed pro omni eo quod est quantitatis principium, habens positionem in continuo, vt punctum in linea, vtrum enim indiuisibile hoc, sit Ens positiuum, vel mera quædam negatio, dubitarunt nonnulli. Sciendum est ergo, hoc discrimen esse inter quantitatem continuam & discretam, quia diuidi in partes quæ ante diuisionem fuerunt actu plures, conuenit discretæ, vt in speciebus numerorum est manifestum. hoc enim Ens discretum videtur significare ex ipsa ratione nominis: continuæ autem, quæ non fuerunt, sed in potentia, tunc verò plures, quando actu diuiditur. Vnde oportet in omni continuo quasdam Entitates indiuisibiles realiter signare, quæ habeant actum terminandi respectu totius, & copulandi respectu partium. ipsum namque definitur esse id cuius partes copulantur termino communi, communis autem terminus cum sit nomen compositum, ex componentibus trahit naturam, & vt sic duo importat, quod terminet, quod sit communis: & quoniam adiectiuum est modus & determinatio substantiui, non sufficit ad hoc quod aliquid dicatur terminus cõmunis, quod sit terminus, & quod com-

communis, sicut nec ad hoc quod aliquis sit monachus albus, quod sit monachus, & albus, sed exigitur quod actum terminandi habeat communem, & ita vnius partis sit terminus, quod etiam alterius, sicut punctus in quocunque loco lineæ designetur, vtriusque partis hinc scilicet & inde terminus est. Omnis autem terminus in quantum huiusmodi, indiuisibilis est, quia si posset diuidi, iam non vltimum terminans esset, haberet enim aliquod vlterius terminans, sicut albedo ex quo est id quo aliquid album est, non nominatur alba, ac proinde termini cõmunis vocabulo, significatur aliquid secundum rem indiuisibile, communiter vtramque partem terminans, hoc est in linea punctum carens omni diuisione partium, in superficie linea carens latitudine, in corpore superficies carẽs profunditate. Et certè apud Aristotelem, barbarus esset, qui huiusmodi principia nollet admittere.

Conclusio. In omni continuo inueniuntur Entitates realiter indiuisibiles. *Probatur.* Ex D. Thoma *Opusc. 36. Cap. 2. in linea*, inquit, *sunt plures puncti, & realiter abinuicem diuisi, vt duo eius termini, & similiter in continuatione* Sed eadem est de alijs speciebus ratio. Ergo,

Continuũ habet entitates realiter indiuisibiles.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem. In nullo est, adæquatè & per se, *concedo*; inadæquatè & merito continui, *nego*. primò enim res corporea quantitati subijcitur, mox lineis, & propter eam punctis, quæ po-

nuntur, vt partes lineæ continentur adinuicem, in eo subiecto in quo sunt partes.

Ad secundum, Distinguo Anteced. Non daretur infinita, Positiuè quasi in infinitum extensa, *concedo*; negatiuè, hoc est, non clausa aliquo termino, *nego*. Vtrum autem possit Deus omnia indiuisibilia à continuo separare, est alia quæstio.

Ad tertium, Explico Philosophum, Vt priuatio, in esse cognito ita, in esse reali non. Intellectus enim apprehēdit punctum, & si quid est aliud terminans, non tanquam id quod habet diuisionem, sed quod ab illa deficit cuius est extremum, vt ibidem egregiè Simplicius discurrit. Occasione tamen dictorum, mouetur

ARTICVLVS II.

Vtrum indiuisibilia sint actu in continuo.

VIDETVR quod non. *Primò*. Per solam corporis continui sectionem, nulla alia interueniente causa, incipiunt esse noua puncta, & lineæ Ergo non fuerunt actu in continuo, alioquin nihil causaret sectio, quod falsum est.

Secundò. Quidquid est actu in continuo, aut est ipsius pars essentialis, vel integralis, aut accidens commune, vel proprium. Sed indiuisibile non habet rationem partis, vt inferius disputa-

ſputabitur, neque eſt accidens, vtpote ſine quo Continuum nec eſſe nec intelligi poteſt. Ergo vt prius.

Tertiò. Ariſtoteles vbicunque de hac controuerſia loquitur, expreſsè oppoſitum docet: citabo vnum duntaxat locum, alijs prætermiſſis. *in libr. tertio Metaph. capit. 5.* ait: *Sicut Mercurius non eſt in rudi lapide actu, ſed potentia, ita ſuperficies ſunt in medio partium corporis.* Ergo

Reſpondeo. Quod tribus modis in Continuo eſt aliquid indiuiſibile. Primo in continuando. ſi enim id quod diuiditur continuaret, poſſemus in infinitum procedere, vt patet. Secundò, in terminando, quod nimirum finit actu & complet in genere cauſæ formalis omnem continuitatem partium. Tertiò eſt aliquid indiuiſibile, quod non continuat nec terminat actu, ſed ſolùm potentia, quæ ad actum per diuiſionem reducitur, quemadmodum ſi aliqua ſuperficies diuideretur in duas medietates, linea quæ per eam vagabatur & quodãmodo incedebat potens terminare partes ſuperficiei, actu terminaret, & idem de alijs eſt dicendum. Si ergo in hac poſtrema conſideratione loquamur de Ente indiuiſibili, manifeſtum eſt illud, in continuo actu non eſſe, niſi forſitan diuiſione facta circa illud, quæ eſt radix & cauſa vt ſit in actu: ſecus autem de illis duobus eſt philoſophandũ, quia continuum inquantum huiuſmodi, & a-

ctu continuum est, & actu finitum, ac proinde habet aliquid continuans in medio, & finiens in extremo. Neque in hac decisione vnquam Aristoteles aut D. Thomas oppositum senserunt, immò quoties videntur negare indiuisibilia actu esse in Continuo, vel in tertio sensu loquuntur, vel ad eum modũ, quod licet à continuo distinguantur secundum rem, non tamen ab eo manent separata.

Conclusio. Indiuisibilia quibus terminatur continuum, & partes eius copulantur, sunt in illo actu. *Probatur.* Est actu continuũ, & actu finitum. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Concedo vim totius discursus. Quando enim continuũ diuiditur, vt linea, resultant duo puncta de nouo, si enim actu præexisterent, essent immediata, quod falsum est, sed solum erant in potentia, vt dixi.

Ad secundum, Nego Maiorem. Potest enim aliquid esse de definitione alterius intrinseca, quod non est de illius essentia, vt in relatiuis respectu terminorum est manifestum. filius namque est de definitione patris, sed non pars essentialis, vel aliquid huiusmodi. Nec quærenda est vniformiter omnium rerum definitio, sicut nec essentia. Substantiarum enim completarũ definitio absque addito fit, quia earum essentia absoluta omninò est, formarum verò tam substantialium quam accidentalium, aliquid additum recipit, subiectum

ici-

scilicet, à quo nullum accidens, terminũ à quo nulla relatio, indiuisibile à quo partium vnio, non est absoluta.

Ad tertium. Explico mentem Philosophi, Non enim negare intendit actualem existentiam rei indiuisibilis in continuo, sed separationem tantum, vt explicauimus.

ARTICVLVS III.

Vtrum indiuisibilia distinguantur inter se realiter, & à continuo.

VIDETVR quod non. *Primò*. Indiuisibilia solùm deseruiunt ad continuandum & terminandum partes continui, vt dictum est. Sed hoc est esse modũ rei & non ipsam rem, Ergo modaliter & non secundum rem differunt à Continuo.

Secundo Omne accidens distinctum realiter ab alio, cum quo non habet necessariã connexionem, potest Deus separare. Sed indiuisibilia non potest à continuo, sic enim in omnem sui partem diuideretur, quod implicat, alioquin non esset continuum. Ergo.

Tertio. Quilibet multitudo rerum differentium extra intellectum, est numerabilis. Sed indiuidua continui nó possunt numerari, nam à quibusdam ponuntur infinita. Ergo nó differunt realiter.

Respondeo, Quod secundum principia Geometriæ

metriæ, illud corpus vocatur continuum, quod tres obtinet dimensiones, longitudinem, latitudinem, profunditatem, & quoniam infinitum esse non potest, vt in tertio Auscultationis probauimus, necesse est fieri finitum corpus omne, quod autem finitum est, à termino clauditur, aliud ergo terminus est ab eo quod terminatur, quandoquidem terminos ambo aut ambo terminata appellare erat necesse: nam si hoc terminus est, idem verò ei quod terminatur, nec ab eo diuersus, necesse est quod diximus sequatur. vt enim Socrates eiusque imago diuersa nõ eadem sunt: nam si esset eadẽ, aut ambo Socratis imago esset, aut ambo Socrates: ita in termino & eo quod terminatur sese res habet. nam indiuisibile respectu continui alia est res, quia implicat eandem realem entitatem esse diuisibilem & simul indiuisibilem, compositam & simplicem, ipsum verò continuum sicut est compositum, ita & diuisibile, quo etiam id separari potest quod indiuisibile est realiter, aut per diuisionem, aut cum ex duobus fit vnum, tunc enim terminatiua vtriusq; desinunt esse, vt patet. Respectu etiam partium continui, alia est res, quia in genere causæ formalis continuat, ita quòd continuatio fit ipsa formalis partium vnio. si enim partes lineæ per puncta continuatæ realiter distinguuntur à ratione partium, nec vna est alia, quomodo puncta quæ continuant erunt idem cũ partibus? Quod verò adinuicem differant,

non

non minus euidenter ostenditur: sit enim punctum continuans hanc partem lineæ B, & aliud C, potest remanere primum, destructo secundo, quia situ distant, hoc est per aliquã partem intermediam. Quocirca nullam habet probabilitatem sententia cuiusdam Neoterici, distinguentis indiuisibilia à continuo, tanquã modos rei ab ipsa re. quippe modus præsupponit rem sufficienter completam secundùm esse, velut determinatio adiacens, sed indiuisibile nõ supponit continuum perfectum: quia linea non intelligitur habere partes actu sine punctis actu, nec partes in potentia, sine punctis in potentia: similiter nec opinio Fonsecæ, quam tuetur 5. *Metaphys. Quæst.* 6. accommodata est ad modos loquendi in scholis Philosophorum receptos, vt ex his quæ dicta sunt colligitur.

Conclusio. Indiuisibilia distinguuntur inter se realiter & à continuo, *Probatur.* Desumendo rationem *ex Corpore.*

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorem. Non enim continuare est modum esse continui, sed causam quasi formalem, vt dictum est.

Ad secundum, Nego Maiorem, quæ Scotica est imaginatio. neque enim est accidens indiuisibile respectu continui.

Ad tertium, Nego Maiorem. Nec quælibet multitudo rerum quæ extra intellectum dis-

differunt est numerabilis, quia debet constare ex partibus actu diuisis, quæ sunt vnitates discretæ, indiuisibilia autem coniuncta sunt continuo, vt patet.

ARTICVLVS IV.

Vtrum continuum componatur ex indiuisibilibus.

VIDETVR quod sic. *Primò.* Vnumquodque componitur ex his per quę definitur. Sed continuū definitur per indiuisibile, quia illius partes eo copulantur, vt dictū est. Ergo ex illo est compositum.

Secundò. Ita se habet indiuisibile respectu continui, sicut vnitas respectu numeri, cum eiusdē sint generis. Sed numerus componitur ex vnitatibus tanquā ex partibus. Ergo & continuum ex indiuisibilibus.

Tertio. Arist. 1. *libr. Poster. Cap.* 4. sic habet: *Per se autem in ratione quid est dicente, ea quæ sunt dicimus, vt triangulo linea, & lineæ punctum inest. ex his enim ipsorum substantia constat, & hæc in ratione quid est dicente insunt.* Ergo iniqua res est sentire oppositum.

Respondeo, Quod multi prædecessores Arist. crediderunt res continuas ex indiuisibilibus cōponi, eratque Zenonis tempore opinio ista celebris, qua de causa plus fortè iusto prolixus fuit Aristoteles in illa extirpanda. Sed pro resolu-

solutione notandum est, quod duobus modis vnum fit ex pluribus, aut secundum ordinem tantum, aut secundum ordinem & compositionem simul. Vtriusque discrimen consistit in hoc. nam quod est secundum ordinem, fit ex pluribus integris & perfectis, prout sunt per aliquã colligationem indiuisa, ac proinde non est vnum simpliciter sed secundum quid, cùm ex duobus in actu fieri non possit, sed ex actu & potentia; sicut domus nõ vnam dicit naturã ex multis compositam, sed plures ordine quodam & coniunctione colligatas, qui ordo est forma accidentalis, vt patet. Quod autem ex pluribus est secundum compositionem, illa cadunt in eius ratione per modum partium, sicut ex anima & corpore fit vnum. nec enim aliquid istorum dicitur natura, sicut nunc loquimur de composito, quia neutrum habet speciem completam, sed est vtrumque vnius naturæ pars. Manifestum est autem, quod cõtinuum nullo istorum modorũ ex indiuiduis constat: non secundum ordinem, nam quorũ hic forma, non sunt res naturales, vt sic eorum vnitas appelletur vnitas naturæ, sicut exercitus hominum: ipsum verò continuũ naturale est, cuius vnitas & esse per definitionem explicantur, & non secundum quid, aut per colligationem plurium, alioquin species quanti non diceretur. Nec secundum compositionẽ tanquam ex partibus. nam quæ indiuisibilia partes continuorum continuant, & quæ terminant

nant, in quantum huiusmodi non diuiduntur, & omninò partibus carent, sicut punctus caret longitudine quam terminat, linea latitudine, & latitudo profunditate, quo fit vt vnum indiuisibile additum alteri non faciat maius, & licet sint plurima in quolibet continuo, sicut infinitæ partes proportionales non æquales, non tamen sunt infinita Entia, quia illæ partes idem esse habent.

Conclusio. Fieri non potest vt aliquod continuum ex indiuisibilibus sit compositum. *Probatur.* Compositio debet esse ex partibus quæ se mutuò contingũt. Sed vnum indiuisibile nõ attingit aliud secundum se totum, quia vtriusque esset idem locus, nec secundum partem, quia punctum est cuius pars non est. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego Maiorem. sicut enim correlatiuum est de definitione relatiui, quia illius esse non est absolutum à termino, cuius tamen pars essentialis nõ dicitur, ita indiuisibile de definitione continui, à quo illud dependet, non sicut subiectum ab accidente, vel totum à parte, sed tanquam ab vnione partium.

Ad secundum, Nego Maiorem. Ideo namque continuum fieri ex indiuisibilibus negatur, quia partes habet vnitas, loco & situ distantes, secundum quas interdum potest moueri: numerus autem abstrahit à continuo, loco, situ & motu.

Ad

Ad tertium, Dico quod ibi substantia pro definitione sumitur, vt in contextu literæ appareat. *De hac Quæstione satis.*

QVAESTIO XXIII

De his quibus videtur motus inesse, & non inest.

ARTICVLVS I.

Vtrum motus possit fieri super aliquo indiuisibili.

VIDETVR quod sic. *Primò* Detur globus perfectè sphæricus, & moueatur per aliquam lineam planam, manifestū est quod necessariò tanget illam; sed nō parte plana, quia non esset sphæricus. Ergo indiuisibili, ac proinde quod tangitur in linea est indiuisibile.

Secundo. Multæ sunt species motuum quæ non requirunt diuisibiles dispositiones subiectorum in quibus recipiuntur. vt patet in aeris illuminatione, obiecti materialis sensatione, & similibus. nam sicut ad hoc vt aer illuminetur, sufficit debita approximatio luminosi, ita vt color videatur, certa distantia visibilis, Ergo idem quod prius.

Tertiò. Motus potest esse totus simul, quia secundum Aristotelem *in lib. de Sensu & sensato*, contingit aliquid totum simul alterari. Ergo moueri & motum esse, nō repugnat esse simul, quod fiet super indiuisibili.

Respondeo. Quod indiuisibile significat rem quæ partibus caret, & ita quot sunt partiū differen-

ferentiæ, tot modi indiuisibilium. Nonnunquam enim respectu partium subiectiuarum in quas secari non potest dicitur, sicut species equi ex eo quod infima est in descensu formali, & aliquid vnum numero in descensu materiali, vt patet. Interdum respectu essentialium, in quo sensu Commentator cœlestia corpora formas simplices, & non aliquid ex partibus constans prædicauit. De his nihil ad præsens, quia manifestum est quod moueantur. Est autem aliud indiuisibile respectu partium integralium, vel quia inextensum, vel quia continuitatis principium, vt punctus, & de hoc sermo. Vbi considerandum est, quod si præscindità continuo, velut separatum existens, non subijcitur motui. simul enim esset moueri & motum esse, vel indiuisibile diuisibile, quod implicat: per accidens autē, & quatenus conāunctum illi super quo motus est, mouetur, ita enim motus est actus totius mobilis à quo extensionē partium obtinet, quod ratione illius sit eorum quæ sunt in mobili. quod autem mouetur ad motum alterius suppositi in quo est, mouetur per accidens.

Conclusio. Non potest super indiuisibili motus fieri per se. *Probatur.* Illud quod mouetur motu continuo, non est in termino à quo, nam ibi est priuatio motus, nec solū in termino ad quem, quia res in hoc mutata est, sed partim in vno extremo, partim in altero, Sed indiuisibile est cuius pars nō est, secundū Euclidē. Ergo.

Ad

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Consequentiam. Tanget in diuisibili, per se, *nego*: per accidens, *concedo*. Non enim omne tangit illud per quod mouetur per accidens, sicut anima, quia non per se, sed ad motum corporis mouetur, non omne illud per quod transit tangit, imò nihil: quod autem primùm mouetur corpus est, & ad eius tactum, quæ sunt in corpore. Vnde motus non subiectatur in puncto tangente mobile, sed in tota sphæra, quæ mouetur per se.

Ad secundum, Nego Antecedens. Sensatio autem non est motus physicus de quo in præsenti loquimur, sed alterius generis. Et quoniam illuminatio sequitur motum localem corporis luminosi, idcirco idem motus vicem gerit dispositionis, & alterationis præuiæ.

Ad tertium, Distinguo Anteced. Contingit simul alterari, ex parte mobilis, *concedo*; quod est secundum omnes partes recipere alterationem, ex parte motus & formæ acquisibilis, *nego*: quia hoc illius successioni repugnat. Pro maiori tamen intelligentia eorum quę hic dicuntur, sit

ARTICVLVS II.

Vtrum indiuisibilia separata à continuo possint diuina virtute moueri.

VIDETVR quod sic. *Primò*. Animæ beatorũ sunt res à continuo separatę, omnis

diuisionis expertes. Sed mouentur localiter, vt ex multis Scripturæ testimonijs licet colligere, & de fide est animam Saluatoris descendisse ad inferos. Ergo.

Secundò. Potest Angelus ad aliquod punctũ se cõtrahere, & statim motu continuo in alium locum demigrare. Ergo multò facilius virtute diuina hoc fieri est possibile. *Antecedens*, quia nec punctum separare à continuo excedit virtutem angelicam, nec separatum de vno loco deferre ad alterum.

Tertiò. Nulla contradictio est, vt virtute diuina præsens sit indiuisibile alicui spacio, cui responderent præsentiæ diuisibiles, quia & Corpus Saluatoris existens in Eucharistia modo indiuisibili, cuilibet parti specierum quantumuis minimæ totum respondet. Ergo vt prius.

Respondeo, Quod motus naturalis bifariam diuiditur, scilicet ad diuisionem mobilis tanquam subiecti, & temporis velut mensuræ. habet enim partem priorem & posteriorem successionis, & vna pars mobilis alia parte motus mouetur quàm altera; completo autem motui nonnisi totum mobile correspondet, quia non est actus alterius partium, nec illo toto pars mobilis apta est moueri, sed vtraque pars motus, est pars partis mobilis, ita planè, vt cuius mobilis est totus motus, illius partium sint & motus partes. sicut enim aliam albedinis partem habeo in facie, aliam in manu,

manu, ita & aliam partem motus, dealbationis hic & ibi. Si autem motus extenditur per mobile, sequitur rem inextensam & indiuisibilē moueri nullatenus posse, præsertim in statu separationis à continuo. Neque enim mouebitur augmētatione aut diminutione, quia isti motus ad extensionem quantitatiuam terminātur, quæ non est in indiuisibili, inquantum huiusmodi, & augetur vnumquodque à minori extensione ad maiorē, decrescit verò à maiori ad minorem. Neque alteratione physica, quia illius termini, formæ accidentales sunt, quæ solis corporibus adhærent, vt calor, & albedo. quod autem immateriale & inextensum est, alterari non potest, sicut homo à quo separata est quantitas & punctum. Nec insuper motu locali, qui est ad vbi verum aut imaginarium, per commensurationem totius locati ad totum locum, & partium ad partes. Atque hoc fundamento Aristotelica sententia *in Textu 86. & deinceps*, stabilitur & confirmatur.

Conclusio. Indiuisibile à continuo separatum, nec virtute ipsius Dei potest moueri. *Probatur.* Omne mobile secundum aliquam speciem motus, est extensum in partes. Sed indiuisibile caret extensione. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Consequentiam. Si est indiuisibile secundum substantiam, *concedo*; secundum quantitatem & extensionem partium, *nego*. Quopacto autem anima Christi & cuiusuis beati existat in lo-

loco, eleganter demonstrat cum Angelico Præceptore Bartholomæus à Medina Dominicanus *in 3. p. Qu. 52. artic. primo in respons. ad 1.*

Ad secundum, Nego Anteced. Licet enim posset angelus ad punctum se contrahere, vt etiam admittit D. Thomas *in p. p. Q. 52. art. 2.* non tamen cum eodem se alicubi potest transferre motu continuo, quasi per spacium transeundo, quia certè nullibi esset, nec spacium tangeret, tactus enim non est nisi in quantitate.

Ad tertium, Nego Anteced. Corpus autem Christi non est præsens speciebus panis in Eucharistia secundum præsentiam per motum acquisibilem, sed per conuersionem illius substantiæ, vnde nec per se mouetur, sed ad motum specierum.

ARTICVLVS III.

Vtrum motus possit fieri in instanti per Dei potentiam.

VIDETVR quod sic. *Primo.* Inter motum & quietem non est medium. Ergo si in instanti non est motus, restat vt sit quies, quod tamen est contra Arist. *in text* 30.

Secundò. Communis est sententia Thomistarum, quod resurrectio vniuersalis mortuorum sit futura in momento absque vlla prorsus successione. Sed non potest sine motu intelli

telligi, quo coniungentur ossa & cineres ad reparandum corpus humanum. Ergo.

Tertiò. In quolibet instanti tẽporis pro quo fit aliqua actio vel motus, verè affirmamus motum vel actionẽ fieri. Ergo idem quod prius. Antecedens ex vsu vulgariter loquentiũ patet. Solemus namque dicere, nunc est disputatio, concio, & huiusmodi.

Respondeo. Quod ad hoc vt aliqua mutatio fiat in instanti, trespotissimum causæ solent concurrere. Prima tenet se ex parte formæ, quæ terminat mutationem. si enim non recipit magis & minus, subitò introducitur in materiam, nec talis introductio motus est, stando in proprietate vocabuli, sed mutatio tantùm. Secunda ex parte subiecti, quod aliquando est in vltima dispositione ad recipiendũ formam subitò, sicut illuminatio respectu diaphani. Præterea ex parte agentis, quod cũ sit virtutis infinitæ potest in non tempore materiã disponere, sicut cũ Saluator dixisset surdo, *Adaperire*, statim apertæ sunt aures hominis, & solutum vinculum linguæ. Vnde in motu forma ad quam terminatur, recipit magis & minus, & subiectũ non est vltimatè ad illam dispositũ sed de esse imperfecto ad esse perfectius reducitur. Descendẽdo verò ad singulas species, quoniã augmentatio & diminutio fieri nõ possunt absq; motu locali, qui est inter duo vbi aliquãtulũ distãtia, & profluũt ex virtute formæ operãtis in corpore, cuius efficientiã nõ põt primũ

agens supplere, non possunt in instanti fieri: quod etiam de motu locali verificatur, cuius mobile partibus constat, quarum vna successu temporis alterius occupat locum, & in pluribus spacijs nunquam existit, vt in quarto deduximus. Potest tamē Deus gloriosus per absolutā virtutem alterare subiectū in nō tempore, suspēdendo actionē vnius contrarij qua intendit alterum expellere, & passionem alterius qua conatur resistere, in genere causæ efficientis vniuersalissimæ, in quo euentu ita albedo faciens album se habebit in instanti ad nigredinem sibi contrariam, acsi illi nūquam esset contraria, quia minimè resistit. Cuiuslibet autem motus quies in momento fieri non potest, nam quiescens dicitur, quod aptum est natura moueri, & non mouetur quando aptum natura est, & vbi, & quopacto, vt loquar Aristotelicè. Sicut ergo in ipso nunc nihil aptum est moueri natura, manifestum est quod nec quiescere.

Conclusio Motum fieri in instanti est impossibile. *Probatur.* Vbicunque motus est, velocior & tardior potest esse. Sed velocius mouetur, quod in minori tempore spacium æquale pertransit, & tardius quod in maiori, in instāti autem nihil maius aut minus. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego Anteced. Non enim motus & quies opponuntur cōtradictoriè & absque medio, nec affirmatio vnius infert alterius negationem, ita vt quidquid nō mo-

mouetur quiescat, sicut est Deus & intelligentiæ, sed priuatiuè. nam quies carentia motus est in subiecto, loco, & tempore, vbi est aptitudo ad motum, si quid ergo non mouetur, & aptum est tali tempore, & loco, quiescit.

Ad secundum, Distinguo Maiorem. Futura in instanti, quantum ad illud quod fiet ministerio angelorum, sicut congregatio cinerum per motum localem, *nego*: nisi forsan supponat instans pro tempore imperceptibili; quantum ad id quod futurum est virtute diuina immediatè, *concedo*. nam completa collectione cinerum & præparatione eorundem, animæ reunientur corporibus virtute solius Dei, quæ informatio & vnio nō est in specie motus physici, de quo est sermo. Sic respondet Doctor Sanctus *in supplemento tertiæ partis Qu.* 107. *art.* 4.

Ad tertium. Distinguo Anteced. Affirmamus fieri actionem, Per se primò, tanquam in mensura, *nego*; secundario, vt continuat partes temporis & mensuræ, *concedo*; lectio enim est nunc, quia nunc est instans quod continuat partes temporis, in quantū est mensura meæ lectionis. *Et hic præsenti libro finem impono.* reliqua enim quę de modo incipiendi rerū, tam permanentiū quam successiuarū, tam spiritualiū quam corporearū disputant recentiores, sunt quidem scitu dignissima, sed meo iudicio humeris iuuenum, quibus scribimus, forsitan non paria.

IN SEPTIMVM LIB. ARISTOT. DE PHYSICA AVSCVLTATIONE QVAESTIONES.

SVMMA TEXTVS.

PRIMA *Conclusio.* Quidquid mouetur, ab aliquo necesse est moueri. *Probatur.* Nam quod in se motionis principium nō habet, ab alio moueri manifestum. si autem in seipso, motus eius pendet ex partibus, cùm si ipsæ quiescerēt, totum quiesceret, non è conuerso. nam potest vna pars absque totius motu moueri, quamob. rem motus non inest alicui habenti partes à se primo, est autem omne mobile partes habens. Ergo omne quod mouetur ab alio mouetur, & per partes inest ei motus, & cum non sit abire in infinitū mouentibus, erit aliquid quod primo causa erit motus.

Secunda Conclusio. Mouens vnde principium motus est, cum eo quod mouet simul est. *Probatur inductione.* Quod de loco fertur, aut à se mouetur, aut ab alio, si primum, perspicuum est, quod mouetur & mouet simul esse, quare nihil intermedium, si ab alio, tunc

tunc pulsione, tractione, vectione, aut vertigine. Et quidem pulsus est, cum mouens rem sequitur quam à se pellit, sicut expulsio quando non sequitur, tractus quod ab alio ad se aut ad aliud, in eo autem quod vehitur, ex accidente motus est, quia in aliquo aut super aliquo fit quod mouetur. insuper volutatio ex tractu constat & pulsu, namque necessarium quod voluit, aliud quidem trahere, aliud pellere, siquidem aliud à se abducit, aliud adducit, fieri autem non potest, vt vel à se ad aliud, vel ab alio ad se non tangendo moueat. At vero neque inter alteratum & alterans quippiam medium, sed agens & patiens simul. nam color lumini, lumen aeri, & hic aspectui continuus. sed neque inter id quod augetur & id quod auget medium, nam auget per appositionem partis ad partem, diminuit autem ablatione, quod est passum agens contingere. Ergo.

Tertia Conclusio. Propria alteratio in patibilibus duntaxat qualitatibus, & passionibus versatur. *Probatur.* Nam neque permutationes figurarum aut formarum, nec habituum acquisitiones aut amissiones propriè & per se dicuntur sic: habituum ex eo, quia alteratio Entis imperfecti actus est, siue in potentia, sed habitus Corporis aut animi non item; imo virtutes omnes ad ali-

aliquid quodammodo intelliguntur dici, ad quod non esse moueri demonstratum est. Figurarum autem mutationes, generationibus æquantur magis quam alterationibus. nam sicut in ijs quę generata sunt, non subiectum de genito prędicamus, sed eius denominatiuum, vt aereum vel aqueum, non aquam vel aerem, & hominem qui ex terra terreum non terram, sic in mutationibus formarum, de re formata subiectum denominatiuè enunciamus, vt statuam non æs sed æream, & pyramidem ceream. Ergo.

Quarta Conclusio. Non quilibet motus est cuilibet comparabilis. *Probatur.* Nam neque localis alterationi, neque is qui super circulo est, ei qui super linea recta, vter enim velox aut tardus, incognitũ. Illa igitur quę non æquinoca dicuntur, cõparabilia. Hylus enim quomodo vino acutior, aut nete quæ est prima chorda lyræ? deinde si id in quo comparatio est, vt forma, in eodem primo recipiatur subiecto, vt albedo canis & equi, primum enim vtriusque susceptiuum superficies: tandem si eadem est speciei specialissimæ natura, non enim quęritur vtrum altero magis coloratũ, sed vtrum magis candidum aut nigrum. Ergo cum hæc in diuersis motibus non eadem, non quilibet cuilibet comparabilis.

Quinta Conclusio. Ratione mouentis, mobilis, spacij & temporis, multiplex in motibus enascitur comparatio. *Probatur*, Nam eadem vis dimi-

dimidium ponderis eodem tempore per dupio longius ſpacium promouebit, quam totum pondus. Secundò, eadem vis dimidium ponderis, dimidio temporis per totum promouebit ſpacium. Tertio, eadem vis totum mobile dimidio temporis, per dimidium ſpacij promouebit. Quartò, dimidia vis dimidium ponderis per dimidium ſpacij, dimidio promouebit temporis. Quinto, non eſt neceſſe vt eadem vis promoueat duplum ponderis per dimidium ſpacij, tempore eodem quo ſimplum, imò fieri poteſt vt illud ne promoueat quidem aliquantulum. Sed hæc comparatio in reliquis etiã motibus, vt incrementi & alterationis locum habet. eſt enim in illis vis quæ auget & alterat, itemque quod augetur & alteratur, tempus etiam quo iſti motus perficiuntur. Ergo. *Et hæc ſumma, omnium eorum quæ docentur ab Ariſtotele in libro ſeptimo.*

QVAESTIO XXIV.

De ordine mouentium & mobilium.

ARTICVLVS I.

Vtrum omne quod mouetur ab alio moueatur.

VIDETVR quod non. *Primò.* Naturale eſt voluntati humanæ ſeipſam determinare ad certam operationẽ in particulari, cum ſit

sit potentia libera, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari & non operari. Sed operatio est quoddam moueri. Ergo aliquid à seipso mouetur, & non ab alio.

Secundò. Aqua calefacta ab igne mouetur intrinsecus ad debitam frigiditatem, seipsam refrigerando, & in se motum recipiendo, sublatis tamen impedimentis. Præterea cor animalis intus existens, mouet alias partes, non ab alio motum, velut principium & fons motionis. Ergo.

Tertiò. Aristoteles *libro 9. Metaphys. textu secundo* ait: *Si simile à simili pati possibile est, & ipsum à seipso.* Ergo non omne ab alio.

Ordo Motuum.

Respondeo, Quòd postquam *in quinto & sexto libris* de diuisione Motus tam in suas species, quàm in partes diffusè tractatum est, subsequitur in duobus his reliquis disputare de motuum ordine ad primum motorem. Vnde *in hoc septimo* disseritur, perueniendum esse in motibus & ex parte mobilium ad rem primùm motam, & ex parte mouentium ad primum motorem: & tandem *in octauo* quidnam sit hoc primum motum, qualisque primus ille motor perquiritur. Pro decisione verò difficultatis propositæ notandum est, quòd moueri aliquid à seipso per accidens non inconuenit, dum scilicet aliquid mouet aliud, & ad motum eius mouetur, sicut cùm anima locum mutat ad motum corporis à se moti, & nauta ad motũ nauis: primò autem à seipso moueri nihil potest,

test, ita vt totum moueat secundum seipsum, & totum secundum se moueatur, partes omnes moueantur à seipsis, & moueant seipsas. nam hoc est esse sibi primò causam motus, & quia non datur prima pars in motu, nec in mobili prima pars mota, nec in spacio prima pertransita propter diuisionem continui in infinitum; idcircò neque in mobili diuisibili potest dari aut totum mobile, aut aliqua eius quantumcumque minima pars quæ non dependeat ex motu suæ partis, sicut non datur aliquod Ens diuisibile quod non dependeat ex alio Ente, puta ex parte sua, & consequenter nullum diuisibile mobile à se primò mouetur, sicut nullum corpus à se primò est Ens, quia dependet ex partibus. Vnde Plato ponens aliquid per se primò moueri à se, docuit, hoc tantùm substantiæ spirituali conuenire, quæ se intelligit amatque, cui Aristoteles non contradicit, quippe qui non loquitur de motu spirituali quatenus est perfectio agentis, sed de corporeo, vt est actus Entis in potentia. Hoc autem in singulis speciebus motus demonstrare non est difficile, augmentatio enim rei viuentis per quam animal nutrit & auget seipsum, per formam est, alteratio per agens extrinsecum. agit enim vnumquodque vt est in actu, & patitur inquantū est in potētia, & sicut repugnat quòd idem eodēmodo se habēs & respectu eiusdē sit in actu simul & in potentia, agens & patiens, ita inconueniēs est quod aliquid alteret seipsū.

Per se primò quid moueatur.

Si

Si quid autem mouetur localiter ab intrinseco, debet in eo distingui pars per se mota à parte per se mouente, vt in animali cor mouet alia membra, sed corpus homogeneum secundum qualitates primas, non habens partes diuersæ complexionis & naturæ, cuiusmodi est omne Elementum, nonnisi à generante mouetur vt à principio quod, & à forma vt quo.

Conclusio. Omne quod mouetur necesse est ab alio moueri. *Probatur* Autoritate Philosophi, & ex dictis *in Corpore.*

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Antecedens. Seipsam determinate, vt proximum determinans *concedo*: vt primum, *nego*. & de hoc est controuersia. Pro intelligentia tetminorum videnda sunt ea quæ diximus *in lib. 2.* circa concursum Dei ad actiones liberas.

Ad secundum, Dico quod aqua nonnisi à generante reducitur ad pristinam frigiditatem: vt enim cum Ferrariensi loquar *in primo contra gentes cap. 7. ad finem*, naturale est aquæ habere frigiditatem, cum aliqua tamen latitudine, quia animirum ex principijs essentialibus sequitur aliquis gradus frigiditatis intra illam latitudinem, quæ si remitteretur, desineret esse tota natura aquæ, ac proinde nunquam à quouis calefaciente aquam, remouetur tota frigiditas aquæ. Cor autem mouetur virtute animæ quæ in ipso hæret.

Ad tertium, Distinguo Anteced. Ipsum à seipso, eodem modo se habens, *nego*: sed alia

ratio-

ratione, *Concedo*; vt dictum est. Sed occasione dictorum, occurrit

ARTICVLVS II.

Vtrum grauia & leuia moueantur ab alio.

VIDETVR quod non. *Primò.* Illud quod habet virtutem adæquatam motui potest mouere seipsum, sed grauia & leuia habēt qualitates proportionatas ad motū, sicut cum ignis in sublime euolat cōcitus à forma, vel lapis ob grauitatem deorsum petit. Ergo.

Secundò. Effectus in actu requirit causam in actu. Sed contingit aliquando desinere esse agens extrinsecum quod mouet graue, absque hoc quod illud desinat moueri, Ergo grauia nō omnimodò mouentur ab alio. *Minor.* si enim proijceretur versus cœlū sagitta aut globus ardens sulphure, & in tempore proiectionis moueus moriatur, non exinde reuera motus quiesceret,

Tertiò. Commentator *in quarto libro Cœli commen. 25.* ait, quòd motus ad sup rius est causatus à leuitate. Sed leuitas est intrinseca corpori. Ergo leuia mouentur ab intrinseco.

Respondeo, Quod de motu grauium & leuium ita loquendum est, sicut de alijs proprietatibus rerum consequuntur enim formas substantiales inanimatorum. Est autem commune singulis proprietatibus, quod primò quidem & prin-

Motus grauium & leuium.

& principaliter causentur ab eo qui contulit formam, sicuti est generans, secundario verò & proximè à tali forma, illud per actionem mediám producit, sed forma per naturalem quandam & simplicem resultantiã. causa enim causæ est ipsius causati causa, quemadmodum rilibilitas Platonis primariò à generante Platone producitur, sed à natura Platonis immediatè. Sic igitur & motus corporum simpliciũ causantur, ex quo enim generãs aliquid graue mediante illius forma confert illi grauitatem, sequitur motus deorsum ab vtroq;, fundamentaliter à generante, sicut ab eo qui dedit formam, à forma naturaliter, & à remouente impedimentum per accidens, & ita generans vt quod mouet, in virtute præsens non in seipso, forma vt quo: neque oportet huiusmodi motibus causam efficientem assignare, prout in se existit simpliciter, cum præexistant in ordine & fundamento, ex quo deducto impedimento per naturalem sequelam necessariò profluunt. Et huius veritatis ignorantia multos ex Philosophis errare fecit, de quorum numero arbitrantur nonnulli grauia moueri à cœlo per expulsionem, quasi illa à seipso repellat, & leuia per attractionem, vt cum ignis sursum attollitur. Quidam verò docuerunt huiusmodi Entia à locis naturalibus trahi per quandam vim occultam. sed vtrumque stare non potest, nisi forsitan sint motus violenti & non naturales, quibus ab extrinseco fieri proprium est, non con-

conferente vim passo.

Conclusio. Grauia & leuia quoties sua loca petunt, mouentur à generante & non à seipso. *Probatur*, Ex Aristot. *in 8. Physicorum tex. 32. Quæ mouentur à seipsis, ab aliquo mouentur, & quæ non à seipsis, vt grauia & leuia (aut enim ab eo quod generauit & fecit leue & graue, aut ab eo quod impedientia & prohibentia soluit) omnia vtique quæ mouentur, ab aliquo mouebuntur.* Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem. Habent qualitates proportionatas tanquam principia actiua motus, & quæ mouent, *nego*; tanquam formalia, vt quibus aliquid mouetur, *concedo.*

Ad secundum, Distinguo Minorem, Contingit desinere esse, in seipso, *concedo*; in virtute relicta, *nego.*

Ad tertium, Dico quod mens Commentatoris est motum leuis causari à leuitate secundũ quid, velut a principio formali à quo per naturalem resultantiam prouenit, non autem ă principali agente, & per actionem mediam, vt dictum est.

ARTICVLVS III.

Vtrum mouens & motum debeant esse simul.

VIDETVR quod nõ. *Primò.* Quodlibet obiectũ mouet potẽtiam, vt color visum, &

illud quod intelligitur intellectum. Sed neutrum est simul cum moto, quia sensibile positum supra sensum non facit sensationem, & quiditas materialis aulla est ab intellectu. Ergo.

Secundò Multæ sunt experientiæ quæ comprobant actionem posse aliquando transmitti in rem distantē. Et in primis Sol mouet inferiora vt primū alterans, calefaciendo & vermes generando absque hoc quod ab eo patiantur orbes intermedij, magnes trahit ferrū, lupus inducit raucedinem, basiliscus solo oculorum aspectu homines necat, piscículus torpedo facit manus piscatoris obstupescere à lōgè, etiāsi tangatur extremitate solius hastæ, fundus lebetis friget, aqua in ipso feruescente à calore ignis, imo si chartæ papyraceæ oleum continenti admoueas ignem, incalescit oleū, inusta charta. Ergo.

Tertiò. Deus infinitæ virtutis est in agendo, ita vt nec ad modū operandi, nec ad aliquem locum sit per eam determinatus. Ergo potest efficere, vt agens non coniunctum passo moueat & agat.

Simultas mouentis & mobilis

Respondeo, Quod de simultate mouentis & mobilis in ordine ad locū non quærimus. manifestum est enim, quod non oportet mouens principale & motum iuxta hanc considerationem simul esse, quasi duo corpora ab eodem loco cōtineri debeant, & quæ causa virtute suæ naturæ præstare potest, vt vnum saltim è duobus

bus corporibus alicubi sit nec locum expleat, ea sanè præstabit vt duo ab eodem loco circũscribantur. cum vero id nullum agens naturale possit, potest autem Deus, consequens est, vt duo corpora per naturam nequeant simul in eodem loco existere, queant autem virtute diuina. Nec etiã est controuersia de mouente minus principali & id quo, nam vt in pluribus cũ eo quod mouet simul est, & præcipuè quãdo mouens instrumentale est qualitas, vt grauitas lapidis qui deorsum petit, est simul cum lapide, & impetus mouens pilam extra manũ proijcientis cum pila Est ergo intelligendum de simultate contactus virtualis, secundum quem omne agens habet virtutẽ supra passum, & quodammodo illud continet, & de agente corporeo principali ac immediato, Vbi notãdum est, quod sicut virtus corporis in quantũ huiusmodi est materialis & in subiecto recepta, nec potest explicari in aliquam operationem sine corpore, ita contactus virtutis inter res corporeas non potest esse sine contactu quantitatiuo & materiali corporũ. sicut enim se habet virtus ad quantitatem, ita videtur se habere contactus illius virtutis ad contactum mathematicum & quantitatiuum, licet in hoc sit forsitan discrimen, quod contactus & simultas virtutis omni agenti conuenit, vtpote per quem causa in actu & effectus in actu constituitur. nihil enim agit carens virtute agendi, quæ respectu huius determinati effe-

ctus simul est & non est, contactus verò mathematicus & quantitatiuus non item, sed tunc solùm est, quando vltima aliquorũ sunt simul, id est, quantitas & extensio agentis, cum quantitate & extẽsione mobilis. Hoc autem in singulis speciebus motus est manifestum. augmentatio enim rei viuentis, quia prouenit à forma tanquam à principio actiuo, simul cum ipsa est, similiter alterans & alteratum, siue secundum sensum, vt cum sensibile mouet medium causando speciem sui repræsentatiuam, quæ pertingit ad organum sensus, vt dicetur *in 2. de Anima*, Deo iuuante, siue quocunque alio modo: in his autem quæ mouent localiter euidentius est mouens simul esse cum moto, secundum omnes lationis species, quæ sunt *tractus, pulsus, vectio, volutatio*, vt ex singulorum rationibus in textu positis colligitur.

Lationis species.

Conclusio. Vera est planè & Aristotelica sententia, quę asserit nihil omnino posse in rem distantem primo agere. *Probatur*, Ex verbis Philosophi *in textu 9. Primum*, inquit, *mouens non vt id cuius causa, sed vnde principiũ motus est, simul cum eo est quod mouetur, quia nihil inter ipsa est.* Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem. Non est cum motu, quoad contactũ quantitatiuum, *concedo*; virtualem, *nego*, nam in specie qua aliquid sensu percipitur aut intellectu, velut in semine cõtinetur Obiectum, & hoc est mouere potentiam ad sui cognitionem.

Ad

Ad secundum, Nego Anteced. quia Sol agit in orbes medios effluendo lumen, in aerem calefaciendo, & in terram effectus varios producendo, & ita simul cū his est in quibus operātur radij eius. magnes trahit ferrū per quandam virtutem à se diffusam in aere circūstante, quod si intingeretur sanguine hircino non traheret: raucedo quam lupus inducit, nōnisi interuentu qualitatum quas per media corpora traijcit, fieri solet: Basiliscus primo ambientem aerem afflatu suo vitiat, tum longius venenum emittit, & tandem alia interimit: torpedo in manu & retibus qualitatēcausat, sed manum obstupefacit, non retia. Quod autem iuxta fundum debilitatur actio calefactiua, exinde prouenit, quia resistentia aquæ eo maxime conglobatur, vt hosti sese ex aduerso opponat, quod fit descendentibus ad imum ipsis partibus frigidioribus, vt experientia testatur. Idem dicendum de igne calefaciente in charta papyracea oleum.

Ad tertium, Dico, quod postulat specialem difficultatem, pro qua sit

ARTICVLVS IV.

Vtrum aliquid possit agere in rem distantem vbi non est præsens, per absolutam Dei potentiam.

VIDETVR quod sic. *Primò*. Sacramenta sunt causæ instrumentales respectu gratiæ, quam producunt in anima. Sed multoties operantur vbi non sunt, nam inter absentes matrimonium contractum est validum, Ergo.

Secundò. Voluntas æquè potest velle distãs sicut propinquum. Sed Deus gloriosus causat suo velle quidquid vult. Ergo potest causare vbi non est, & hoc idem creatis agentibus cõferre. Vnde si in locis imaginarijs non est tanquam in alio, vt alibi disputauimus, quopacto in ipsa mundi creatione negabitur agere in distans?

Tertiò. Angelicus Præceptor *in tertia parte Q. 13. art. 2.* expresiè docet, quod anima Christi prout est instrumentum Verbi Dei personaliter sibi vniti, habuit virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas, ordinabiles ad finem incarnationis, qui est instaurare omnia siue quę in cœlis sunt, siue quæ in terris, iustificare impios, resuscitare mortuos, vnde est illud: *Lazare veni foras.* Ergo.

Contactus differentia.

Respondeo, Quod sicut in contactu loci & locati duo sunt, videlicet substantia corporis quæ continetur à loco, vt quod est in illo, & ratio ob quam continetur, cuiusmodi est quãtitas dimensiua (incorporalia enim iuxta cõmuniter loquentes, non sunt in aliquo corpore tanquam in loco) ita in contactu virtuali secũdum quem agens continet effectum in fieri, & est id quod continet, puta suppositum agentis, & ratio cõtinendi, quæ est ipsa formalis actio. Vnde sicut non oportet substantiam corpoream prius esse in loco quam proprijs dimensionibus attingat locũ, sed vtrumq; simul est, quantitas vt quo, substantia vt quod: ita non vide-

videtur necessarium esse, quod prius aliquod agens contineat effectum in supposito, quàm in actuali operatione. Manifestum est autem, quod nullum agens operatur per actionem existentem in alio subiecto, aut in alio loco extra seipsum, præsertim si talis actio fuerit transiens, qua effectus materialis nonnisi in loco aut locato producitur. Et quemadmodum impossibile est idem numero corpus esse in hoc loco circumscriptiuè & in alio, vt in quarto probauimus, ita hic existere & alibi operari. virtus enim agentis corporei vt sic materialis est, in quanto recepta, quæ sine corpore non exercetur, nec potest Deus per suam omnipotētiam facere, vt aliquid actu nō existens operetur, & non existens pro hoc loco & tempore, efficiat hunc numero effectum, cùm non minus sit repugnans attingere passum vbi non est agens, quam si nullibi esset. De instrumentis autem quæ assumuntur à DEO, non est mihi tantum argumentum, quam id quod ex vsu & quotidiana experientia elicere possumus. difficile enim est creditu, quod ego manens Seynæ, eleuem securim ad feriendum hostem Lublini existentem, sed hæc forsitan puerilia sunt, à quibus abstinendum duxi, & qui voluerit illis ludere, caueat scripto mandare.

Conclusio. Nullum genus causæ virtute diuina potest operari in rem distantem, vbi nō est præsens. Probatur ex D. Thoma *in tertio contragentes cap.* 68. cùm ait: *Quodcunque agens est* *Operatio est tãtum in præsens*

præsens tantùm vni suorum effectuum, eius actio non potest deriuari ad alia nisi illo mediante, eo quod agens & patiens oportet esse simul: & alia quæ ibi sequuntur. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem. Operantur vbi non sunt, per modum instrumenti physici, *nego*, (debent enim esse præsentia) instrumenti moralis, *concedo*; sed nó de hoc est controuersia.

Ad secundum, Nego Minorem, quia voluntas diuina non potest velle aliquid distans à Deo, cùm nihil sit tale, nec secundum distantiã causalitatis, nec loci, vt potè qui operatur omnia in omnibus. Et quemadmodum in locis imaginarijs non suppositi virtus diuina aliquid factum ab alio, ita nec distans à seipso.

Ad tertium, Bene ibidem Angelicus Doctor. nam cum humanitas sit instrumentum coniunctum diuinitatis, & operetur omnia charismata per contactũ spiritualem, & per verbum operatorium, nihil miri est si agit in distans, nullam qualitatem imprimendo in mẽdio. *De hac Q. satis.*

QVAESTIO XXV.

De comparatione motuum adinuicem.

ARTICVLVS I.

Vtrum ad solas tertiæ speciei qualitates sit alteratio.

VIDETVR quod non *Primò*. Ad illã formam terminatur alteratio, cui in genere qua-

qualitatis est aliquid contrarium. Sed in prima specie est vera contrarietas, nam scientia opponitur ignorātiæ, & sanitas ægritudini. Ergo.

Secundò. Durum habet potentiam naturalē nihil patiēdi à contrarijs, & molle dicitur impotens ad resistendum sectioni, & ita ponūtur in secunda specie. Sed terminat alterationem tactus per modum obiecti, & afficiunt illum diuersimodè. Ergo.

Tertiò. In motu illo quo lapis sculpitur, figura est terminus, sicut cum figuratur cera. Ergo non tertia species.

Respondeo, Quod de alteratione communiter sumpta, prout est via ad omne Ens in genere qualitatis reponibile nō quærimus, manifestū est enim, quod non arctetur ad tertiam duntaxat speciem, cùm & potentiæ sensitiuæ in cognitione Obiectorum quodāmodo alterentur, hoc est, propter receptionem specierum ab obiectis, quibus in actu cōstituuntur. Iuxta propriam verò considerationē accepta nōnullas exigit cōditiones, videlicet vt sit ad talem formam quæ in motu per se primò acquiritur & nō ratione alterius cum qua est idē realiter, & ob huius defectū, non potest fieri alteratio ad figuram, ipsa enim est idem cum quantitate, cuius acquisitione informat subiectum: deinde vt aliam habeat sibi contrariam cum qua mutuo pugnet agendo & patiendo, nec sufficit consequi ad formas quæ contrariæ sunt & inuicem agunt, & propterea

Alterationis condi-tiones.

ad

ad scientiam & virtutẽ non est alteratio, quia multoties acquiruntur absque hoc quod præsupponant contrarium in subiectis. non enim est necesse vt qui animum scientia excolit aut virtute, eoipso sit inquinatus errore aut vitio. Et quoniam huiusmodi conditiones in tertia solum qualitatis specie reperiuntur, propterea Aristoteles scirè ad literam *text.* 11. inseruit: *Maximè in figuris & formis & habitibus eorumque remotionibus alterationem esse quispiam existimauerit, at in nullo est.*

Conclusio. Ad solas qualitates tertiæ speciei est per se alteratio. *Probatur.* Ex dictis *in Corpore Articuli.*

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem, Est contrarietas, secundum quam ita respicit forma subiectum, vt necessariò præsupponat in eo contrarium (omnis enim motus inter extrema est contraria) *nego*, secundum quam vnum repugnat alteri præcisè, & cum eo est incompatibile, *transeat.*

Ad secundum, Distinguo Minorem. Terminat alterationem sumptam communiter, *concedo*; propriè, *nego*, vt dictum est.

Ad tertium, Nego Antecedens. Non enim in motu sculptionis terminus per se primò est figura statuæ, sed auulsio particularum lapidis, ad quam consequitur figura, & dum cera liquefit, primo extenditur quantitas, deinde forma artificialis acquiritur.

AR-

ARTICVLVS II.

Vtrum in sola specie infima possit fieri comparatio.

VIDETVR quod non. *Primò.* Quemadmodum se habent indiuidua sub aliqua specie, ita & species sub genere. vtrobique enim est prædicatio vniuoca superioris de inferiori essentialiter subordinato. Ergo sicut potest fieri comparatio aliquorum in specie, ita in genere,

Secundò. Istæ comparationes sunt legitimæ, Substantia est Ens perfectius accidente, Deus melior & sapientior est quauis creatura, nix albior papyro, vox intimè penetrans auditum, acutior omni gladio penetrante tactum, aut sapore gustum. Ergo in æquiuoco potest fieri comparatio.

Tertiò. Aristoteles *in Prædicamentis cap. 6. textu* 3. ait: *Quanta est superficies, tantum decet & album esse.* Sed hæc duo genere differunt, Ergo.

Respondeo; Quod non vertitur hic in dubiũ, an extrema quæ comparantur debeant esse vnius & eiusdem speciei necne, quia res manifesta est parietem artificiosum in hoc quod est album esse secundum magis & minus posse comparari cum homine, quæ tamen ad genera primò diuersa à Philosophis reuocantur, sed difficultas est de illo communi prædicato in

quo

Comparatio & eius species.

quo comparatio fieri consueuit. Pro cuius decisione notandum, quod comparatio est duorum extremorum in aliquo tertio collatio, secundum æquale vel inæquale, magis vel minus, quę dum est in actu, requirit animam tanquam principale comparans, & conceptus cõparabilium velut instrumenta. Species illius tres numerantur. quædam enim est comparatio *communis*, quædam *propria*, & tandem *maximè propria*, vt docet D. Albert. Mag. *in Tract. 2. cap. 2. Communis* vocatur secundum quam conferũtur aliqua duo in prædicato superiori generico vel saltim analogo. dicimus namque substantiam ex natura sui generis esse perfectiorem omni accidente, velut Ens per se, eo quod est in alio. *Propria* est, secundum quam conferuntur duo extrema in specie specialissima, quamuis non eadem sit natura vtriusq; extremi, in quo sensu coruus nigrior est columba. Sed *maximè propria*, quando extrema quæ comparantur eiusdem sunt speciei atomæ, in qua etiã est comparatio, vt Hyacinthus est doctior Francisco, hic paries illo candidior, & si quæ sunt talia. Et ex his perspicuũ relinquitur, quænam esse debeat propositæ quæstionis decisio, nimirum comparationem si presse magisque ad vsum Philosophicum accipiatur, in sola specie infima versari. Etenim si quis attendat, in ea solùm prædictas conditiones pro cõparationibus faciendis ab Arist. enumeratas inueniet.

Con-

Conclusio. In sola specie atoma comparatio rigorosa fieri potest. *Probatur.* Nec analogum dicit vnã naturam realẽ in qua possit fieri cõparatio, sed magis proportionẽ inter naturas simpliciter diuersas, nec etiã genus, cũ sit actu diuisum per differentias essentiales, sed sola species atoma, vt eius quid nominis ostẽdit. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego Antecedens propter rationem positam in Conclusione.

Ad secundum, Distinguo Anteced. Sunt legitimæ, loquendo de comparatione communiter sumpta, *concedo*; exacta & maximè propria, *nego*

Ad tertium Distinguo Conseq. stando in prædictis terminis.

ARTICVLVS III.

Vtrum omnis motus cuilibet motui sit comparabilis.

VIDETVR quod sic. *Primò* Ita velocitas accidit motui, sicut albedo corpori. Sed possunt duo corpora specie diuersa comparari in albedine, dicimus namq; hominem esse cãdidiorẽ niue. Ergo & duo motus in velocitate.

Secundò Quæcunque eadem mensura metiuntur, videntur adinuicem esse comparabilia. Sed omniũ motuũ eadem est mensura, nimirũ tempus. Ergo quilibet est alteri comparabilis.

Tertiò. Secundum Philosophum *in 8. Phys. tex. 74. & deinceps,* motus cœli est primus & velocissimus omnium sublunarium. Ergo.

Respondeo. Quod perfectio cuiuslibet rei & cõsequenter motus duplex est, vna essentialis, *Perfectio duplex.*

& est

& est complementum naturæ alicuius quantũ ad principia intrinseca, ex hoc enim vnũquodque perfectum est, quia completum est, vt humanitas in Petro. altera accidentalis, quam res sortitur non ex differentia sui generis, sed ab extrinseco, cuiusmodi est forma de genere accidentis, iuxta quem modũ homo qui meliores possidet qualitates, perfectior est secundũ quid, omni alio non habente illas. Manifestum est autem, quod vnus numero motus non est comparabilis alteri in aliqua perfectione intrinseca, imo hoc videtur impossibile, accipiendo comparationem in rigore vt dictum est. nam quia motus non est aliud quid præter fluxum formæ ad terminum, neque omnino prẽter res ad quas est, sicut nulla est comparatio vnius generis Prędicamenti ad aliud, ita quoque nulla erit vnius perfectionis repertæ in vna specie motus, ad aliam alterius motus, vter sit alio perfectior, in sola enim analogia Entis conueniunt Prædicamenta. In perfectione autem accidentali, quæ est velocitas, tarditas, sursum, deorsum, potest fieri aliqua comparatio, secundùm æquale vel inæquale, magis vel minus, ac proinde omnes motus locales possunt comparari adinuicem, omnes augmentationes & diminutiones, similiter alterationes quę sunt eiusdem speciei ex terminis. non autem augmentatio cum motu locali est comparabilis in velocitate & tarditate, quasi velocius contingat arborem crescere, quam hominem de

vno

vno loco moueri ad alterum, vel è conuerso, aut parietem tardiùs dealbari, quã me nunc scribere.

Conclusio. Non omnis motus cuilibet motui est comparabilis. *Probatur.* Ad aures Philosophi *in text.* 29. non solùm oportet comparabilia non æquiuoca esse, sed & non habere differentiam. Motus autem est huiusmodi. non enim singuli qui veloces dicũtur, eiusdem sunt speciei. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego Maiorem. nam Albedo sub eadem ratione omni subiecto in quo est conuenit, puta propter superficiem: velocitas autem diuersorũ motuũ non habet eundem modum mensuræ, nec eandem regulam, quia aliter est augmentatio velox, aliter motus localis, & ita non fit cõparatio motuũ diuersorum in velocitate, sicut est corporum in albedine.

Ad secundum, Distinguo Minorem. Omniũ motuum eadem est mensura, qua illi motus sunt cõparabiles inter se, *nego*; qua commensurantur motui primo, regulari & maximè vniformi, *concedo*; ex quo nihil contra nos.

Ad tertium, Dico, quod ibi Arist. comparat motũ supremi cœli cũ omni motu locali, sed non cũ alia specie motus sublunaris. *Et hæc de libro septimo dicta sint, ad laudem Dei glorioſi, Sacroſanctæ Virginis, & Diui Thomæ Præceptoris Angelici.*

IN OCTAVVM LIB. ARISTOT. DE PHYSICA AVSCVLTATIONE QVAESTIONES.

SVMMA TEXTVS in prima parte.

An primus Motus.

PRIMA *Conclusio.* Primus motus nullus est, sed ante quemcunque extitit alius *Probatur.* Si exordium temporis motus habuisset, vel mouens & mobile cæpissent aliquando, vel fuissent ab æterno, si primũ, per aliquem motum, & sic motus ille qui primus dicebatur primus non esset, si ab æterno sine tamen motu, quieuerit mobile necesse est, vel quia ineptũ fuit vt moueretur, vel quia à causa mouente remotũ: at verò neque ex inepto fieri aptum vt moueretur, neq; ad causam mouentem applicare sese potuit sine motu. Ergo primo motu constituto, prior aliquis antecessit, quod quia absurdum est, concludimus nullum esse primum, sed ab æterno aliquem extitisse.

Secunda Conclusio. Vt ad primi motoris & ad sempiterni mobilis naturam explicãdum possimus venire, distinguendum est in vniuersum de his

de his quæ in rerum natura sunt. *Probatur.* Necesse enim est, aut omnia quiescere semper, vt Melisso videtur; aut omnia semper moueri, quod sensit Heraclitus; aut alia quidem moueri, & alia quiescere. Sed non contingit moueri semper ea quæ mouentur aliquo genere, quia nec continuè augeri aut minui quidquam potest, sed dum alimentum est dispositum, & hoc in quodam medio tempore, nec guttæ cadentes super lapidem extrahunt semper aliquid sed pro tempore disponunt, & facta dispositione extrahunt, nec mouetur homo dum dormit, nec lignum calefit dum longè est Qui autem omnia volunt quiescere, cum sensibus ipsis manifestè refellantur, nec tamē iudicium sensuum admittant, videntur imbecillitate mētis laborare. Ergo aliquid quod nunquam mouetur est, quia motor primus, aliud quod semper, mobile primum, & alia quæ interdū mouentur interdum quiescunt, vt sublunaria.

Tertia Conclusio. Ordo motus demonstrat nullum omninò motū fore, nisi ponamus primum motorem. *Probatur.* Omnia quæ mouentur aut natura mouentur aut præter naturam & violentia. Sed quæ vi & præter naturam, omnia à quodam & ab alio. eorum autem quæ natura rursus, & quæ à seipsis, ab aliquo mouētur, & quæ non à seipsis, vt grauia & leuia; aut enim ab eo quod generauit & fecit, aut quod prohibentia soluit, omnia vtique quæ mouentur ab aliquo mouebuntur. Ergo si quod mo- *Primus motor.*

uet, iterum ab alio mouetur, nisi sit primum mouens vel prorsus immobile, vel quod à seipso cietur, necesse est infinitam mouentium & mobilium ponere seriem, in infinito autem nec primum est, nec postremum. Ergo ordo motus demonstrat aut esse primum motorem, aut nullum omninò fore motum.

QVAESTIO XXVI.

De principio durationis totius Vniuersi & motus.

ARTICVLVS I.

Vtrum Vniuersum semper fuerit cum tempore.

VIDETVR quod nō. *Primò*, Omne quod incipit habet mensuram suæ durationis. Sed tempus non mensuratur aliquo, quia non æternitate, semper enim fuisset totum simul; non æuo, quia sic in perpetuum duraret; nec etiam tempore, quia nihil est suiipsius mensura. Ergo non incœpit esse, & ita nec mobile nec mundus, quia tempus non est sine motu, nec motus sine mobili, nec mobile sine mundo.

Secundò. Illud quod est semper in principio & in fine sui, nunquam incipit nec desinit, quia vnaquæque res est post sui principium, & ante sui finem. Sed tempus semper est in sui principio & in sui fine, nihil enim est ipsius præter instans, quod est finis præteriti & initi-

um futuri. Ergo tempus non incipit nec desinit, & consequenter motus semper est, & mobile semper, & vniuersum.

Tertiò. Sicut homo necessariò vult suam beatitudinem, ita Deus suam bonitatem, & quod ad eam pertinet. Sed talis est productio creaturarum in esse, secundum Dionys. *cap. 4. de cœlesti hierarchia.* Ergo.

Respondeo, Quod hic est octauus Liber Physicæ Auscultationis, omnium quidem ordine postremus, sed dignitate & præstantia eorum quæ in ipso tractantur ab Aristot. præcipuus. Postquam enim in septimo visum est, omne quod mouetur ab alio moueri, nec in ordine mouentium, mobilium, aut motuum ex parte alicuius extremi abiri in infinitum, sed existere primum motorem, primũ motum, ac primum mobile, restabat explicãdũ in particulari, quis videlicet sit primus ille motor, primũ mobile, ac primus motus: præsens autẽ difficultas currit de mobili. Pro qua sciendum est, quod actio immanens per hoc differt à transeunte, quia immanens ad hoc vt sit, non requirit actualem existentiam sui obiecti, & potest nonnunquam terminari ad non existens secundũ esse reale, existens autem secundum esse spirituale, quod est imago & species obiecti, quemadmodũ posem ego aliquid intelligere & velle, etiamsi illud quod intelligitur non sit præsens in actu, ipsa enim actio est solius agentis perfectio, cuius tantùm existentiam postulat, & di-

Præstantia octaui libri.

& dispositionem voluntatis ad intelligendum. Actio verò trãsiens quia in subiecto exteriori recipitur velut forma & perfectio ipsius, non habet esse aut fieri sine dependentia saltim in esse imperfecto, ac proinde impossibile est actionẽ transeuntem ponere æternam, cuius effectus non sit ab æterno, aut temporalem, cuius effectus non sit pro aliquo tempore, quod tamen de immanente non verificatur. Manifestũ est autem quod creatio actiua, idem est quod velle diuinum quantum ad substantiam actionis consideratum, cum respectu ad creaturam, qui non est realis, sed secundum rationem tantum, quia vnum ab altero dependet, & non è conuerso, hoc est creatura à Deo realiter, Et quoniã effectus naturalis necessariò sequitur causam quæ operatur secundum modum sui esse, voluntas autem non sic, sed secundùm modum sui propositi, idcirco quamuis velle diuinum sit ab æterno, non sequitur quòd mundus ponatur æternus, aut quòd sit tunc quando voluntas est, sed quando disposuit vt esset. Quidquid autem sit de possibilitate productionis æternę, de qua inferius, non erat vlla necessitas disponendi vniuersum vt sit ab æterno, neque ex parte ipsius creaturæ, hæc enim non habet necessitatem essendi ex se, nam quod necesse est esse, impossibile est non esse, & per consequens, quod ex se necesse est esse, ex se impossibile est vt sit non Ens Hoc autem falsum esse constat euidenter, alioquin creatura haberet

esse

esse ex se, id est per essentiam & non ab alio. Neque etiam ex parte agentis erat aliqua necessitas, in cuius rei testimonium Diuus Thomas vtpote qui diuinarum litterarum scientissimus & recōditæ Theologiæ peritissimus singularem planeque diuinam de creatione pronunciauit sententiam illustrauitque, ea sic habet *in 2. Contra gentes cap. 3. Ab agente per voluntatem non procedit aliquid ex necessitate, nisi per rationem alicuius debiti*, ex nullo autem debito Deus creaturam producit, si absolutè vniuersalis creaturæ productio consideretur, sed ex voluntate, quæ adeò profunda est & cogitatu incomprehensibilis, vt illius nulla vnquam ratio assignari possit, quamuis ex Sacra Scriptura planè innotescat. Ergo illud complexum, *Mundus esse incœpit*, non demonstrabile est, nec scibile, sed solùm credibile.

Conclusio. Cum Deus sit omnium prima & vniuersalissima causa, mundum ipsum ab eo in tempore & cum tempore processisse, tenendum firmiter est. *Probatur.* Infinita non est transire, sed si mundus semper fuisset, iam infinita essent pertransita. hoc est circulationes Solis & dies, quod enim præteritum est pertrānsitum est. *Mundus in tempore conditus.*

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Maiorem Si incipit per motum physicum, *concedo*; per voluntatem primi agentis, *nego*, vt dictum est.

Ad secundum, Nego Minorem, quia suppo-

nendo motum non semper fuisse, nec semper futurum esse, nó quodlibet instans erit principium & finis temporis, sed aliquod tantum principium, & aliquod tantum finis.

Ad tertium, Nego Minorē. Licet enim Deus velit suam bonitatem necessariò, & omne illud sine quo bonitas esse non potest, tamen huiusmodi non est creaturarum productio, neque contrarium sensit Dionysius.

ARTICVLVS II.

Vtrum mundum ab æterno extitisse rectè probauerit Philosophus.

VIDETVR quod sic. *Primò*. Necesse est rem mobilem & causam motricē vel ab æterno extitisse, vel aliquando cœpisse cùm prius non essent. Sed si cœperunt, sane per motū, & sic ante primū fuit alius. si verò vtrūque, mobile scilicet & causa mouens fuerūt semper, sine tamen motu, causa afferri non potest, cur illis simul existentibus, nulla re impeditis, motus nó fuerit, vel enim quia mobile ineptū fuit vt moueretur, vel quia à causa mouente remotum. Ergo omni primo motu constituto, antecessit alius.

Secundò. Prius & posterius absque tempore nequeunt dari, vtpote quæ illius partes seu differentiæ vocātur. Ergo si motus exordium habuit cum prius non esset, antequam ille esse inciperet, tempus erat. Sed sine motu tempus

non

non est, quia illius numerus. Ergo antequam motus esset erat motus, quod repugnat.

Tertiò. In quolibet tempore licet sumere momentũ, quod vnum præsens habemus. Sed illud est confinium vtriusque temporis, terminus præteriti, & initiũ futuri. Ergo ante quodlibet tempus fuit, & post quodlibet erit, sicque tempus ante & retrò infinitum est.

Respondeo. Quod quia multorum positio fuit, quod mundus semper & ex necessitate extiterit, & hoc demonstrare conati sunt fallacissimis & nullo certo fundamento nitentibus argutiolis, idcirco ne Orthodoxorum Ecclesia Ethnicis appareat impossibilia profiteri, præcepit sacrum *Lateranens. Concil. vltimo celebratum sub Leone Decimo, Sessione 8.* omnibus ac singulis Philosophiæ Professoribus, rationes Aristotelicas quibus suam imaginationem videbatur fulcire multis in locis, & præcipuè in hoc postremo Physicæ auscultationis libro sigillatim recitare, & tandem ostendere, quod non necessariò concludant mundi sempiternitatem. Enimuero ipsemet Aristot. immemor suorum præceptorum, ex principijs non ritè constitutis de re tam ardua contra alios Philosophos grauissimos & veritatem fidei, dogma concluſit. Appello *immemorem*, quia cum eodem auctore *lib. 1. de partib. animal.* principia nostræ cognitionis à sensibus fidem accipiant, de rebus autem diuinis aut pauciſsima, aut nulla sensibus manifesta

Mundi sempiternitas Aristotelica.

sint, facilè colligitur acumini ingenij naturalis hisce in rebus parum esse fidendum. Et quis præter eum *in 1. Metaphysicæ* somniaret, mentē hominis ad ea quæ sunt manifestissima naturę, non minus cæcutire, quam oculos noctuarum ad lumen meridianum? Nunquid non Stagirita *in 3. Physicorum* infinitum quidem in potentia fieri posse contendit per vires naturæ, & nō in actu? cùm autem animę sint immortales, *vt in 2. de generatione animalium Cap. 3. & de Anima Cap. 4. & 12. Metaph. cap. 3. ostenditur*, si species humana fuisset ab æterno, infinitę nunc essent actu superstites animę. Præterea, finis diuinæ voluntatis in rerum productione est bonitas eius, in quantum per creaturas manifestatur, & in hoc præcipuè, quia res alię præter Deum non semper fuerunt, exinde enim colligitur quod ab ipso habeant esse, tanquam à perenni fonte Entium, non solùm quæ sunt, sed quæ esse possunt absque vllo termino. Adde, quod voluntas Dei est causa rerum, & hoc pacto necesse est aliqua esse, sicut necesse est Deum velle illa, non autem fuit necessarium, velle quod mundus fuerit semper, quia nō est necesse Deum velle aliquid nisi seipsum. Rationes autem Philosophi assignatæ à principio vltra naturam non assurgunt, sed quid natura possit, non quid naturæ opifex & conseruator conuincunt. Verùm quia D. Thomas *in lib. 2. contra Gent. à cap. 27. vsque ad 38.* satis candidè egit cum principe Philosophorū, & illius opi-

Rationes Aristotelis refutātur.

nionis

nionis sequacibus, nolo amplius dicere quidquam, ne frustra libellum meum faciam prolixiorem.

Conclusio. Non potest demonstratiuè probari mundū semper fuisse, sed secundum quid nec Arist. id ipsum probauit. *Probatur.* Vbicunque de hac materia loquitur, inducit testimonia antiquorū, quod non est demonstratoris sed probabiliter persuadentis, sicut 1. *Topic. cap.* 9. fatetur quædam esse problemata dialectica de quibus rationes non habemus, vt vtrum mundus sit æternus. Ergo. Sed iam descendamus ad vltimā Articuli partem, & rationes Philosophi ne quis temerè illis assentiatur, qui cum Deus non fuerit, errare potuit, soluamus.

Ad primum igitur dicendum, Nego Maiorem, motus enim semper est in aliquo mobili, nec mobile tamen nec motus incœpit per alium motū, sed ex voluntate Dei nulla præexistēte potentia rei creabilis, vtrūque factū ex nihilo est, eo articulo & momento quo ab æterno fuit decretum, vt esset in tempore.

Ad secundum, Nego sequelam: quia supponit productionem Vniuersi per motum, quod falsum est. Nec si ponimus tempus quandoque cœpisse, oportet ponere prius, nisi secundum imaginationem, sicut cum dicimus, extra cœlum non est locus, quamuis, *Extra*, videatur locum significare.

Ad tertium, Nego Minorem, quia non omne, *nunc*, finis est præteriti temporis, & initium futuri

futuri, sed fuit quoddam primum, & erit quoddam postremum: ita planè vt quiescente primo mobili, futurum sit *Nunc*, finis quidem omnis præteriti temporis, sed nullius futuri initium. Occasione tamen dictorum sit

ARTICVLVS III.

Vtrum mundum incœpisse sit articulus fidei expressè credendus.

VIDETVR quod non *Primò*. Articuli fidei demonstratiuè probari non possunt, quia illa de non apparentibus est. Sed Deũ esse creatorẽ sic quod ab eo mundus incœperit esse, est demonstrabile. Ergo non est de fide. *Minor* patet, quia omne factum ab alio habet principium suæ durationis, cum processus in infinitũ in agentibus subordinatis fieri non possit. *quis enim adeò vecors est, qui cum suspexerit in cœlum, Deum esse non agnoscat?* Ita Cicero.

Mundi initium an demonstrabile.

Secundò. Si necesse est dicere, quod mundus sit à Deo factus, aut ergo ex nihilo, aut ex aliquo. non secundum, quia materia vniuersi præcessisset. Ergo ex nihilo, id est, post non esse, & sic euidens est quod esse incœperit.

Tertiò. Scibile est, nihil Deo æquiparari posse. Sed si mundus semper fuisset, æquipararetur Deo in duratione. Ergo scibile est non semper mundum fuisse, & non credibile.

Respondeo, Quod ad perfectionem cuiuslibet natu-

naturę inferioris duo concurrunt, vnum quidem illi conueniens secundũ motum propriũ, & aliud secundum motum superioris causæ, prout ab illa res ad agendum mouetur & applicatur, in quo sensu naturalissimum est aquæ moueri ad centrum si extra locũ ponatur, sed circa centrum fluendo & refluendo, ex motu Lunæ ipsi conuenit. similiter Orbes Planetarum mouentur proprijs motibus ab Occidente in Orientem, motu verò primi mobilis rapiuntur è contra, immò & homo generat sibi ex natura simile, sed credit, & sperat per auxiliũ superioris causę. Inter has autem veritates quibus assentitur creatura rationalis ex habitu fidei, & reuelatione diuina, est Mundum incœpisse in tempore, hoc enim demonstratiuè probari nõ potest, nec ex parte ipsius Mundi, quia demonstrationis principium est quod quid est subiecti, abstrahens ab *hic* & *nunc*, cum vniuersalia sint vbique & semper, Homo autem, Cœlum, & Mundus particularia sunt ex Natura, Loco, & Tempore: nec etiam ex parte suæ causæ; nam Voluntas DEI ratione inuestigari non potest nisi circa necessariò volita, & sicut nihil circa creaturas necessariò vult, ita non potest sciri per demonstrationem quid velit, & sic de primo ad vltimũ, mundum incœpisse credibile est, non autem demonstrabile aut scibile.

Conclusio. Mundum incœpisse est articulus fidei expressè credendus. *Probatur.* Isaię 40. dici-

dicitur: *Leuate in excelsum oculos vestros, & videte quis creauit hoc?* Vnde & Moyses Prophetizauit de præterito, dum *in principio creasse Deum cœlum & terram* denunciat. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorem. quia licet causa efficiens quæ agit per Motum præcedat effectũ tempore, qui nonnisi in termino actionis incipit esse, non tamen videtur necessariũ, vt causa agens libere actione instantanea præcedat, & talis est creatio, vt inferius probabitur.

Ad secundum, Dico *ex nihilo*, sed qui poneret mundũ æternum, posset defensare, non quod factus sit post nihilum, vt fides astruit, sed quia non est factus de aliquo.

Ad tertium, Nego Minorem. si enim mundus semper fuisset, non parificaretur Deo in æternitate, quia esse Diuinũ, est simul totum absque vlla successione, non autem sic est de mundo.

ARTICVLVS IV.

Vtrum possibile fuerit per absolutam Dei potentiam aliquid creatum ab æterno produci.

VIDETVR quod non. *Primò*. Quod non habet esse nisi ab alio, in se consideratum non est. Sed huiusmodi Ens oportet aliquando non esse. Ergo omne quod est ab alio, non est aliquãdo, & ita nihil creatũ potuit esse ab æterno.

Se-

Secundò Intrinsecum est successiuis habere partes priores & posteriores secundum durationem. sed prioritas durationis pugnat cum æternitate, quia duratio æterna est infinita, partibus carens & tota simul. Ergo nihil successiuum potuit ab æterno produci.

Tertiò. Si mundus hic sublunaris esset ab æterno, iam nunc tot præcessissent instantia tẽporis quot horæ, & horæ quot dies, dies quot menses, & tot menses quot anni, anni quot sęcula, quia vniuersa hęc essent infinita. Sed hoc dici non potest, quandoquidem annus maior est mense, mensis die, & deinceps, vnum autem infinitum non est maius altero, quia maius & minus circa res finitas versantur.

Respondeo, Quòd sicut docet Arist. *in quinto Metaphys.* dicitur aliquid posibile vel secundũ potentiam actiuam agentis, quatenus per eam potest agere, vt si dicamus posibile esse ædificatorẽ ædificare, vel secundũ passiuam materiæ & subiecti, quatenus per eam potest agi & formã recipere, iuxta quem modũ posibile est lignũ comburi. Aliquando verò absque omni respectu ad potentiã hanc vel illam dicitur posibile, sed absolute, quia non repugnat, vt duo corpora in eodẽ loco existere, adhuc enim remanent duo, & per oppositum, vbicunque est repugnantia Entis & non Entis, affirmationis & negationis, quæ simul de eodẽ sub vna ratione verificari non possunt, illud impolsibile est fieri, vt quod homo sit lapis, nõ ex de

Posibile quotmodis dicatur.

ex defectu agentis, sed ex natura ipsius rei, cui vtrũque extremũ non conuenit. Manifestum est autem quod istud complexum, *Rem ab æterno fuisse productam*, non significat aliquid impossibile secundum se, hoc enim quod est esse creatum, & esse ab æterno, non repugnãt, præsertim cũ creatio nec motũ dicat, nec successionẽ importet, sed momentaneã productionem ex qua id quod creatur non prius fit quam factum sit; sed est per primum sui esse secundum se totum. Si autẽ accipiamus possibile cum respectu ad potentiã passiuam creaturæ, tũc supposita veritate fidei, non potest rationabiliter sustineri, quod aliquid diuersum à Deo in natura potuerit semper esse, eadem enim est potentia ad non esse, puta passiua, impossibile autẽ est illud semper fuisse, quod aliquãdo ponitur ex natura non fuisse. Cæterũ vt possibile refertur ad virtutẽ actiuam agentis, res manifesta est, nõ deesse in Deo huiusmodi virtutẽ aliquid ab æterno producendi. liberè enim agit quidquid ex se profert, & quia infinitus est, nõ dependet à tempore in agendo, sicut enim potuit quo libuisset tẽpore res cõdere vniuersas, ita & in æternitate, nam si nõ potuit facere nisi in tẽpore, in toto illo imaginario spacio quod antecessit creationem fuit præpeditus ne gloriã suam expanderet. Vniuersas dico, tam corruptibiles quam perpetuas, tam permanentes quam successiuas, cum earũ durationib. simul. Neque tamen creatura diceretur Deo coæterna, sicut filius Dei naturalis est coæternus Patri,

tri, à quo per modũ naturæ procedit, vt fatẽtur Theologi, sed semper cum Deo fuisse diceretur, in suo tamen tempore, æternitas enim est vitæ interminabilis tota simul & perfecta possessio, sed tempus ex motu causatur, & ita quod mutationi subiacet, etiamsi semper existat, æternum esse non potest.

Conclusio. Non fuit Deo impossibile, aliquid creatũ ab æterno producere. *Probatur.* Quidquid non est contra rationem creaturæ, Deus potest in creatura efficere. Sed semper fuisse est huiusmodi, alioqui esset creaturam semper fuisse, & factam non esse. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo? Minorem. Oportet non esse per potentiam facti, *concedo,* facientis ex arbitrio, vt id quod incæpit esse ab æterno semper existat, *nego,* vt dictũ est.

Ad secundum, Distinguo Conseq. Nihil potuit produci, quasi mensuratũ æternitate, *concedo*; mensuratum tempore, *nego.* Verè etenim D. Augustinus dicit 8. *super Genes. Quia omnino incommutabilis est illa natura Trinitatis, ob hoc ita est æterna, vt ei aliquid coæternum esse non possit.* De ratione ergo æterni est non habere principium durationis, sed de ratione Entis creati, habere principium originis.

Ad tertium. Nego sequelam: & quãuis vnũ infinitum non sit maius simpliciter altero in eodem ordine, tamen in alio & secundum quid potest esse. Volo dicere, quod infiniti dies ita habent determinatã multitudinẽ, vt nequeant

esse plures simpliciter, quam infiniti, in alio tamen pluralitatis ordine maior est infinitas horarum quam dierum, vt patet. Sed quoniam plerique adolescentes qui doctrinam D. Thomæ obseruant, & aliquo prosequi desiderant officio, in ampliori materia creationis vellent forsitan exspatiari, idcirco ne cuipiam videar deesse, in gratiam eorundem statuitur

QVAESTIO XXVII.

De modo emanationis rerum à prima causa.

ARTICVLVS I.

Vtrum creatio actiuè sumpta sit actio transiens necne.

Actio transiens quæ.

VIDETVR quod sic. *Primò*, Actio transiës vocatur illa, per quam producitur terminus extra virtutem agentis, vt calefactio; immanens autem recipitur in agente. sed creatio habet terminum extra sphæram diuini esse, & & non in ipso Deo, vtpote per quam rebus creatis esse tribuitur, Ergo est transiens.

Secundò. Creare est aliquid mutare. Ergo est agere transeunter. *Anteced.* quod enim exit de potentia in actum mutatur, & huiusmodi est quodlibet Ens creatum. nam antequam crearetur, fuit in potentia agentis, & postquam creatum est, actu est.

Tertiò. Omnis actio immanens Deo, æterna est, vtpote habens esse diuinũ. Sed creatio actiue sumpta non conuenit Deo ab æterno. si enim conueniret, esset aliquid ab æterno creatum,

tum, quod est contra veritatem superius firmatam. Ergo.

Respondeo. Quod in præsenti Quæstione non est mihi animus explicare materiam creationis quoad singula puncta, de quibus Theologi sæpissime controuertunt cũ Angelico Præceptore multis in locis, sed ea duntaxat breuiter percurrere, sine quibus doctrina huius libri nonnisi cum difficultate posset intelligi. Aduerte igitur, quod nomen hoc aliquando accipitur pro cuiuscunque rei productione, & maxime substantiali, in quo sensu ab initio & ante sæcula creata est Dei sapientia, hoc est genita. nonnunquam creare idem valet, quod ad altiorem statum quempiam euehere, & sic creãtur Reges atque Episcopi. Tandem productio totius ex nihilo, magis proprie appellatur hoc vocabulo, non quod hæc particula, *ex nihilo*, designet ordinem successionis alicuius post nihilum, quo pacto ex mane dicitur fieri meridies, sed quia est aliquid ex nõ aliquo subiecto, in solo enim motu inuenitur subiectum actu existens sub vtroq; extremo, vt in alteratione, augmento, & similibus, in mutatione autẽ materia prima quæ est Ens in pura potentia. vnde nec generatio & corruptio proprie dicuntur motus, sed mutationes quædã. Cæterùm creatio nihil præsupponit simpliciter, neq; ibi est subiectũ commune aliquo modo ex prædictis, hoc est in actu vel in potentia, ac per consequẽs nõ est motus aut mutatio, sed actio Dei

De creatione.

quæ est eius essentia cum relatione ad creaturam, quę nō est realis sed secundū rationē tantùm, sicut passiuè accepta nō est in genere passionis, sed relatio secundū rem, quia creatura depēdet à suo principio realiter, nō è conuerso, sicut patet in scibili & scientia. Vnde non in fieri accipienda est, quasi per modū motus, sed in facto esse, nec in ea importatur accessus aliquis ad esse, aut transmutatio à creante, sed mera incœptio essendi, & relatio ad creatorem à quo est esse.

Creatio quid.

Conclusio. Creatio actiuè sumpta, nō est actio realiter transiens. *Probatur.* In omni actione transeunte est aliquid commune vtriq; extremo, aliter se habens nunc quam prius, in quo & ipsa actio recipitur. sed vbi tota substantia rei in esse producitur, non est aliquod idem aliter & aliter se habens, quia illud non esset productum, sed productioni suppositū. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Maiorem, Si est actio productiuè solùm transiens, & sine motu, *nego*; subiectiuè, *concedo*. hoc enim est transire in rem patientem, & in ea recipi.

Ad secundum, Nego Anteced. potentia enim passiua est subiectum physicæ mutationis, & quod exit de illa in actum mutatur, non autem quod de actiua.

Ad tertium, Dico, quod pro illius solutione, designandus est peculiariter

A R-

ARTICVLVS II.

Vtrum creatio actiua existat ab æterno in Deo.

VIDETVR quod sic. *Primò.* Est ipsa Dei essentia cum quodam respectu rationis, vt dictum est. Ergo ab æterno existit.

Secundò. Deus & natura ex possibilibus efficiunt id quod melius est. Sed cõmunicare esse ab æterno, arguit summã Dei perfectionem: Ergo ab æterno actionem creandi habuit, & creauit.

Tertiò Si actiua creatio prius non fuit in Deo, & postmodũ esse incœpit, habetur in tempore quod in numeratione prioris & posterioris consistit, vt dictum est. Sed sicut agens diuinũ, ita & illius actio superat omne tempus Ergo.

Respondeo, Quod creatio actiua Dei potest duobus modis considerari, Realiter, & Conceptibiliter In primò sensu ab æterno est, vtpote intelligere diuinum cum quadam relatione cointellecta, superans omne tempus, & cuiuslibet rei possibilis existentiam, adeò efficaciter, vt non solùm produxerit effectum infallibilem, sed in tali loco, & tempore, prout voluntas disposuit. Hoc enim est peculiare in diuina actione, quod stante illa in toto suo complemento & actualitate, potest non sequi effectus, quia non completur ex ordine intrinseco ad effectũ: & si Deus decreuisset non producere aliquã creaturã, adhuc actio ipsius & potentia omnẽ haberet actualitatẽ quã modo

Creatio actiua.

habet. iuxta determinationem enim voluntatis operatur quando vult, & quomodo. In secundo autem sensu non est ab æterno, sed imaginamur vnum tempus commune dum mũdus non erat, & postquam in esse productus est, sicque in apprehensione habet se tempus velut subiectum eorum quæ in tempore aguntur, & ipsa creatio velut actio transiens.

Conclusio. Actiua creatio prout à nobis cõcipitur non potest appellari æterna. *Probatur*, desumendo rationem *ex Corpore.*

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Anteced. Est essentia secundum rem, *concedo*; in apprehensione intellectus, *nego.*

Ad secundum, Nego Minorem. hæc enim perfectio solius creaturæ videretur esse, non Dei: ex noua autem Vniuersi creatione appareret Deum neque necessitate naturæ agere, neque vllius rei indigere, sed seipso beatum esse, & vt noster Angelicus Præceptor discurrit *in secundo Contra gentes*, facilius hoc modo innotescit rerum dependentia à Deo, siquidem id quod non semper extitit, palam est habere causam, à qua esse incœpit.

Ad tertium, Distinguo Maiorem. Habetur in tempore imaginario, *concedo*; reali, *nego.* Vnde cum dicimus prius non fuisse tempus, & postea cœpisse, illud prius nõ importat differentiam temporis extra intellectum, sed in apprehensione tantum. Sed iam accedamus ad secundam partem Opusculi.

SVM.

SVMMA TEXTVS INI secunda parte.

Latio seu motus localis primus.

PRIMA *Conclusio.* Dubitantibus vtrum cõtinuus aliquis motus esse necne possit, & si potest, quis sit, & quis motuum primus, dicendum Lationem inter alias species primã esse. *Probatur.* Id primum est natura, quod cum non sit, alia non erunt, illud verò sine alijs. Sed absque motu qui fit secundum locum reliqui esse non possunt, incrementum enim alteratione perficitur, nam quod augescit, partim ex simili partim ex dissimili augescit, cuiusmodi est alimentum, quod nec alit nec auget, nisi prius immutatum fuerit. successiue namque redditur simile per alterationem. si verò alteratur, id fit oportet quòd alteret, & ex potestate calido actu calidum efficiat. constat autem id quod mouet, non similiter se habere, sed ad illud quod alteratur interdũ propius accedere, interdum longius ab eo remoueri, quę omnia absque Latione nequeunt esse. Ergo hæc inter motus prior est.

Secunda Conclusio. Nullus motus localis circulari excepto, simul continuus & sempiternus. *Probatur.* Quidquid enim fertur de loco, aut in orbem, aut per rectam lineam mouetur, vel admisto motu. Sed rectus non potest esse continuus, vtpote qui inter contrarios terminos, is enim quo fursum pergitur, ęi quo deorsum aduersatur, & ex quo

in partem anteriorem, ei quo in posteriorem, & is item quo sinistrorsum, quo dextrorsum. hæ enim loci sunt contrarietates: ideoque vt reflectatur motus ille necesse est, quia linea recta finita, dum autem reflectitur, diuiditur: nec qui admisto motu est continuus, vt qui per arcũ & qui per chordã sit, cùm vtriusque magnitudo finita. Ergo quærẽti, cuius motus primum mouens sit causa? dic, primi. quis est primus motus? Latio. Omnisne? non, sed prima. Quænam illa est? circularis.

Tertia Conclusio. Primum mouens immobile, partibus necessariò vacãs, nullaq; magnitudine prædituũ, dicamus nunc rationabiliter. *Probatur.* Dixi *immobile*, quia si omne q; mouetur necesse est ab aliquo moueri, aut illud ab alio aut non, & si quidem ab alio, aliquid primum est mouens quod à nullo, ac proinde in eo oportet ascendendo stare, & non abire in infinitum, quia impossibile infinitorum esse primum. quod si non ab alio, à seipso, & consequenter dicamus immobile, partibus vacans, quia infinitæ virtutis, quæ in magnitudine inesse nequit, & hoc ita: Impossibile est virtutem finitę magnitudinis, tempore infinito mouere. virtus primi motoris mouet primum mobile tempore non finito. non ergo in magnitudine est finita. *Hic finitur textus vniuersæ istius scientiæ.*

QVAE-

QVAESTIO XXVIII.

In qua conditiones quorundam motuum explanantur.

ARTICVLVS I.

Vtrum motus localis sit prior alijs motibus.

VIDETVR quod nō. *Primò.* Quilibet motus desumit speciem & perfectionem ex termino ad quē, vt dictum est, sed hic in motu locali est ignobilior, nam productio substantialis attingit Ens de genere substantiæ, augmentatio quantitatem, velut subiectum quo accidentiū, alteratio qualitatem absolutā, quæ superat vbi respectiuum in motu locali. Ergo.

Secundò. Illud est primum in quolibet genere, quod est causa reliquorum. Sed generatio est huiusmodi, maximè si id quod gignitur animal sit. id enim priusquam mutet locum generari, alterari, & accrescere oportet, quia non genitum non mouebitur. Ergo.

Tertiò. Ex eo, secundum Philosophum *in text. 61.* Latio circularis obtinet principatum in motibus, qui illi ex oppositis sunt inopposita. Sed talis ratio nulla. motus enim corporis cœlestis ab Occidente in Orientem, videtur contrariari motui eiusdem ab Oriente in Occidentē, cū sint ad loca maximè distātia. Ergo.

Respondeo. Quod motus ex propria definitione duo respicit. subiectū & terminum. actus enim est Entis mobilis vt in potentia, & hoc in singulis est manifestum. Si itaq; comparentur

Motus quæ respiciat.

illius ſpecies vt habent ordinem ad terminũ, localis nõ erit perfectior imò deterior quolibet motu ad formã. Vbi namque eſt contineri in tali loco, quod non poteſt explicari niſi per reſpectũ diſtantiæ ad primũ locans, & continẽtiæ ad locatum. hoc autẽ imperfectius eſt Ente abſoluto, cuiuſmodi eſt qualitas, & forma ſubſtantialis. Cæterùm ſi comparentur per ordinem & ſubiectiuè, è contrario ſeres habet. motus enim localis habet ſubiectũ magis perfectũ, vtpote magis in actu exiſtens, & in potẽtia tantum ad vbi, quod licet reuera non ſit forma denominãs ſubiectũ extrinſecè, tamen definitur ab extrinſeco, vtrũque enim neceſſe eſt cõcurrere vt aliquid ſit in loco, & locus vt quid extrinſecum, & vbi, ſicut explicauimus in Logicis. Et quoniam terminus ad quẽ eſt intrinſecus formaliter motui tanquam idem ipſi exiſtens, non autem ſubiectũ, idcirco motus localis extrinſecè quidem eſt perfectior motu ad formã, hoc eſt ratione ſubiecti, perfectorum enim motus eſt, ſed non ratione termini. Non ſum immemor, quopacto Paulus Soncinas *in 7. Metaph.* defenſauerit hoc dubiũ in via Thomiſtarum; ſed quia hic modus conformior eſt Angelico Doctori circa præſentem literam, meritò ſuſtinendus videtur.

Concluſio. Motus localis prior eſt omni alio perfectione. *Probatur.* Quanto aliquis motus minus remouet à mobili, tanto ſubiectũ eius eſt perfectius, & conſequenter ipſe motus quodam-

dammodo. Sed localis est huiusmodi. Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Maio. Si est perfectio formalis, *concedo*; extrinseca & ratione subiecti, *nego* quod enim est rei perfectioris accidēs, ipsum quoq; cēsetur perfectius.

Ad secundum, Nego Minorem, Potius enim est mutatio & non motus proprie. Quāuis autem respectu rei quæ gignitur prior sit tempore generatio cum sit actus imperfecti, simpliciter tamen res genita nō est illius subiectū, ac proinde latio prior est natura reliquis motibus, cūm necesse sit causam quandam vniuersalem existere, quæ suo motu ad rerum omniū generationes concurrat, nempe cœlum, item vero quia ipsam rem genitam antecedit generans, quod iam antea mouebatur localiter.

Ad tertium, Nego Minorem, quia motus primi mobilis non est à puncto Orientis ad punctum Occidentis velut à termino ad terminū, sed tanquam à termino ad medium, per quod ipsum mobile ad Orientem redit, teste Diuo Thoma *in primo Cœli Lectione octaua.*

ARTICVLVS II.

Vtrum augmentatio rei viuentis sit motus continuus.

VIDETVR quod sic *Primò*, Positis causis sufficientibus in actu & non impeditis ponitur effectus, sed si viuū manet sanū, in quo est anima cum interno calore, & nutrimentum debite approximatum sunt causæ sufficientes augmenti continui. Ergo est vere continuum.

Se-

Secundò. Motus à contrario in contrarium est in tempore continuo, vnde etiam ad diuisionem temporis secatur in partes. Sed augmentatio habet extrema contraria. Ergo est successiua & continua.

Tertiò Si augmentatio viuentis per aliquod tempus non esset continua, puta per mensem, non esset verè motus sed mutatio, cui propriũ est fieri in instanti, quod tamen est contra Philosophum *in quinto Physicorum*, Ergo.

Motus continuus.

Respondeo, Quòd motum aliquem continuũ esse, tribus modis contingit. Primò vt continuum significat perpetuum, in quo sensu Aristoteles vocat in præsenti circularem motum continuum, nec de hoc disputamus. Deinde, augmentum continuum idem sonat quod per totum tempus assiduè perseuerans, vt si per annos triginta aliquis homo absque interpellatione augeatur: & quidem res manifesta est, hoc sustineri non posse. calor enim naturalis quo vtitur anima viuentis loco instrumenti cuiusdam, non semper est in actuali conuersione cibi in substantiam viuentis, ob frequentia impedimenta, & motus varios quibus idem viuens occupatur. Tandem appellatur continuũ pro aliquo saltim tempore, ita vt cum sit quantumcunque paruum in aliquo breui temporis spacio, continuè fiat, cuiusmodi est medium mensis, aut hora. Et iuxta hunc modum sentit Aristoteles nec secundum se totum, nec secundum partes, posse fieri continuam augmentationem

onem continuam, ita planè vt in determinato tempore totum viuens augeatur, & in parte temporis sit pars augmenti; sed necessariò interponitur mora post augmentum vnius partis in qua nihil augetur, sit tamen dispositio ad augmentum alterius partis, & in fine dispositionis conuertitur denuò alimentum, & viuēs crescit maius, tandem alio tempore disponitur & postea augetur, sicque interrupto motu fit processus à minori ad maiorem extensionem & quantitatem. Exinde subuertitur opinio Heracliti, docentis, quod si puer crescit in vno anno vnū palmū, quolibet die crescit modicū, & in dimidio anni, medietas palmi, sicque diuidendo tempus iuxta diuisionem motus, tametsi non percipiatur quod in singulis horis augeatur. E contra noster Philosophus negat Consequentiam talem, & peccatum illationis patefacit huiusmodi exemplo: Demus casum, quod per multos annos cadat gutta aquæ super lapidem, certum est quod trāsacto tempore fodietur lapis, sed nō est necesse quod quælibet gutta in qualibet parte temporis remoueat aliquam partem lapidis, imò præcedentes vltimam disponunt ad fossionem, quæ in virtute præcedentium diuidit lapidem. Sic dumus enascens in montibus petrosis prorumpit foras per medium saxum, & licet illud diffundat, non sequitur vt in præcedenti tempore continuè saxum diuiserit.

Conclusio. Non est motus continuus augmentatio

tatio rei viuentis. *Probatur.* Ex Arist. *in tex. 23.* Neque augeri neque minui possibile est continuè, sed est & medium. Ergo.

Augmentatio non est motus continuus

Ad primum igitur dicendum, Nego Minorem. adhuc enim requiritur tertium ad continuam auctionem, hoc est, vt ipsa forma sit apta cõtinuè produci, sicut per motũ localem spacium est aptum continuè pertransiri. sed quia repugnat quantitatem continuè extendi, nulla est obiectio.

Ad secundum, Distinguo Minorem, secundũ contrarietatem perfectam, *nego*; imperfectam, *transeat*, vt *in quinto* ostensum est. Vel ita: Si totũ augmentũ rei viuentis quo creuit cõsideremus, verè ex imperfecto tẽdit ad perfectũ & cõpletur in tẽpore, habetq; extrema cõtraria. nõ enim totũ vnico absoluitur instãti, nec proportionaliter ad tẽpus & quãtitatẽ diuiditur.

Ad tertium, Nego sequelam, vt ex dictis est manifestum.

ARTICVLVS III.

Vtrum alteratio sit continua.

VIDETVR quod sic. *Primò.* Demus ignem approximatũ aquæ, & sit iam saltim in minimo calefacta. Tunc infero: Ergo si non continuè post illud minimũ calefacit, dabitur agens approximatum passo, quod tamen sublatis impedimentis non ageret.

Secundò. Quilibet motus localis est cõtinuus. Sed rarefactio est coniuncta cum motu locali. Ergo

go & ipsa est continua. non enim corpus rarefieri potest, quin locus acquiratur.

Tertiò. Aristoteles *in quarto Phys. tex. 99.* docet continuitatem temporis ex continuitate motus pendere, & istius ex magnitudine, inquit enim: *Quia magnitudo continua est, & motus continuus; quia verò motus, & tempus, quãtus enim motus est, tantum & tempus videtur fuisse.* Sed magnitudo alterabilis est quid continuum, vt paries. Ergo & alteratio.

Respondeo, Quod omnis forma de genere Qualitatis aut diuiditur secundum extensionem subiecti, aut secundũ intensionem gradus in seipsa. habet enim certã latitudinem graduũ secundum quam nunc est remissior & postea intensior, vt apparet in albedine. Manifestum est autem, quod alteratio ad solam qualitatem terminatur, ac proinde diuisibilis est duplici titulo, videlicet aut ex subiecto alterabili. tota enim est in toto, & partes eius in partibus, aut ex intensione graduum, vt cum idem numero subiectum ex non albo fit album, & ex minus albo magis. Vtrum autẽ hoc vel illo modo fit continua aliquando, & non rumpatur media quiete, dubitarũt nonnulli. Dogma Thomisticũ est, quod neutro modo fit continua. hoc enim admisso, in toto aliquo tẽpore fieret, vtputa dealbatio, & in quolibet instanti res esset magis alba, & sicut in tempore sunt infinita instantia, vt omnes admittunt, est enim de numero cõtinuorũ saltim per accidẽs, ita

Alteratio ad quid terminetur.

ita in fine dealbationis deprehendetur infinita albedo nulla igitur erit finita, si quælibet continua. Discontinuitas autem ex eo provenit, quia agens debitè approximatum subiecto alterabili prius per aliquod tempus ipsum disponit ad termiuum alterationis, in instanti verò quod terminat tempus prædictæ dispositionis, causat formam in eo gradu in quo potuit pro illo instanti, sicque mobili quiescente sub illa, adhuc in tempore immediatè sequenti disponit, & sic deinceps agit continuè, vel formam producendo, vel ad eam disponendo.

In continua.

Conclusio. Verè alteratio non est continua. *Probatur.* Ex Arist. *in text.* 23. vbi hoc demonstrat tribus argumentis.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Conseq. Non ageret formam producendo, *concedo*; disponendo ad eam, *nego*. licet enim in quolibet instanti sit maior dispositio, non tamen quælibet est sufficiens pro elicienda forma intensiori

Ad secundum, Distinguo Conseq. Si rarefactio sumatur formaliter, & respectu sui termini primarij, *nego*; secundum illud adiunctum, *transeat*, vt est motus localis.

Ad tertium, Explico Philosophum sub distinctione. Est motus continuus necessariò, *nego*; permissiuè, *transeat*. de solo enim locali hoc verificatur, propter spaciũ continuò acquisibile, prius secundum partem minorem, & postea maiorem.

A R-

ARTICVLVS I.V

Vtrum mobile quod reflectitur, necessariò quiescat in puncto reflexionis.

VIDETVR quod non. *Primò* Vnus est numero motus quo mobile sursum proijcitur, & deorsum reflectitur. Ergo non admittit vllam quietem in puncto reflexionis. *Anteced.* colligitur ex vnitate subiecti, temporis, & termini, vt in quinto habitum est.

Secundò. Si mobile localiter motu reflexo nõ moueretur motu continuo. Ergo dabũtur duo instãtia immediata absque tempore, aut enim in eodẽ instãti accedit sursum & recedit deorsum, & hoc non, quia illi motus contrariantur, vel in alio & alio, quod si concesseris, non apparet tempus intermedium, alioquin prædictũ mobile nec ascensu nec descẽsu moueretur in illo, tẽpus aũt est numerus motus.

Tertiò. Dilatatio cordis est motus rectus, cõstrictio verò reflexus, quia ab eodẽ ad idem. Sed absq; media quiete, cùm sit vitæ fontalis origo in quolibet animali, & primum mobile. Ergo.

Respondeo. Quod cũ in omni reflexione duo motus necessariò interueniãt, rectus & reflexus tribus modis de illa cõtingit philosophari. Aut enim vtraq; pars est naturalis, vtpote à principio intrinseco Entis mobilis causata, quẽadmodũ dilatatio cordis & constrictio: & iuxta hũc modũ communis est Medicorum consensus, quod talis reflexio non sit continua, sed habeat quietẽ, ita vt cor in puncto suæ dilatationis per

Motus rectus & reflexus.

breue tempus quiescat dilatari, & post modum incipiat constringi. Quod etiã Angelicus Præceptor *in Opusculo 35.* videtur admittere. ibi enim docet, quod motus cordis imitatur cõuersionem ipsius cœli. nam circularis est, quia ab eodem termino ad eundẽ; & perpetuus, quia quousq; animal viuit, neutiquam desinit esse: in hoc solùm deficiens à simplicitate motuum cœlestiũ, quia ex pulsu & tractu componitur, & vltra hoc media quiete interrumpitur. Aut verò vtraque pars reflexionis est non naturalis, sicut cùm sagitta sursum proijcitur, & tũc obuiat molari deorsum cadenti, à quo etiam cogitur retro cadere, in quo sensu non apparet quies in puncto reflexionis tum quia nec per se reflectitur, sed per accidens, ad motum videlicet alterius, tum etiã quia sequeretur molarem aliquantulũ quiescere ob ascensum sagittæ, quod est ridiculũ. Aut denique vna pars reflexionis est violenta & altera naturalis, quẽ admodum si pila sursum proiecta ascendat, & postea deorsum moueatur, in qua acceptione datur quies in puncto reflexionis: difficilè enim est cognitu quo pacto moueri naturaliter & moueri violenter, sursum & deorsum eidem mobili continuè respõdeant, cùm in vno sint termini à quo & ad quem diuersi respectu terminorũ alterius, similiter principiũ mouens, vt patet. Et ex hoc fundamẽto diuersæ obiectiones partim ab experientia sensuũ, partim ab auctoritatibus Philosophorũ deductæ, diluuntur & refutantur.

Con-

Conclusio. Mobile quod reflectitur in vltimo sensu, necessario quiescit in pūcto reflexionis. *Probatur* Ex contextu verborū Arist. qui est *in ordine 64. Quod autem fertur recto & finito, continuo non ferri perspicuū est, quippe cū reflectitur, quod vero reflectitur, cōtrarijs motib. mouetur.* Erg.

Ad primum igitur dicendum, Nego Anteced. quia reflexio in alio est tempore, & ad alium terminum, vt dictum est.

Ad secundum, Nego Conseq. Est autem accessus ad punctum, & recessus ab eodem, in alio & alio instanti, cum media quiete, cuius est tempus mensura per accidens.

Ad tertium, Nego Minorem, vt dictum est *in Corpore.* Sed quoniam plura disputant moderni interpretes circa motum proiectorum per violentiam, nec apud nos in superioribus libellis fuit infrequens istius vocabuli vsurpatio idcirco vt hoc impēsius examinemus, statuitur.

ARTICVLVS V.

Vtrum in proiectione corporis motu violento, imprimatur aliquis impulsus à proijciente.

VIDETVR quod sic. *Primò.* Aut iste impulsus educitur de potentia subiecti, & hoc non, quia naturaliter ipsi conueniret, aut omnino venit ab extrinseco, & si ita est, ex nihilo fieret, quod rationi sanæ repugnat. Ergo frustra ponitur.

Secundò. Eadem iaculatoris manus nunc sursum nunc deorsum vibrat iaculū. Ergo cum

vis impellens sursum sit leuitas, & deorsum grauitas, hæc autem distinguuntur specie, non ibi imprimitur impulsus, alioquin vterq; motus eiusdem esset speciei.

Tertiò. Ipsemet Philosophus assignat mediũ vrgens & impellens pro causa ob quam proiecta mouentur, vt videre est *in tex.* 82. Ergo.

Mobilẽ quot modis in potentia.

Respondeo. Quod duobus modis dicitur aliquod mobile esse in potentia ad motũ, aut secundũ ordinem naturalẽ & inclinationẽ quam habet respectu agentis, aut secundũ ordinem quem habet agens respectu mobilis. potest enim aliquid esse susceptiuũ motus ab agente naturali, ad quẽ nihilominus nõ inclinatur ex propria natura, imò ipse est contra inclinationem subiecti. Et quidem prior vocatur naturalis simpliciter, & posterior violentus, vtpote à principio extrinseco proueniens nullã vim conferente passo. Agens autẽ cum quodam impulsu efficit violentiam, & sic non est quãtitas rei mobilis actio, sed virtus impressa à mouẽte per quã mobile proijcitur, aut quomodolibet rapitur ad certam distantiã, de secunda specie Qualitatis, quãuis enim non insit à natura, nihilominus eo ipso quod imprimitur ab agente naturalis ordinis, & per actionẽ physicam, quę est proiectio, censetur esse quædã potentia naturalis, saltim secundũ analogiã & proportionem. Est autem vna ipsius definitio & essentia, quæ tamen indifferenter se habet ad hunc vel illum motũ in particulari, & à solo impellente accipit determinationẽ, ab illo nãque regitur & mo-

modificatur, vt in hanc vel illã partem mobile rapiat.

Conclusio. Non potest corpus violenter moueri nisi per impulsionem ab agente impressã. *Probatur.* Ex Angelico Doctore *Q. 3. de Potentia art. 11. ad 5. Sagitta*, inquit, *tãdiu mouetur à proijciente, quamdiu manet vis impulsus proijcientis.* Et clarius *in Q. vnica de Anima art. 11 ad 2.* Ergo.

Ad primum igitur dicendum, Quod ille impulsus educitur de potentia subiecti, nec est cõtra inclinationem naturalem corporis hoc modo, quasi illud ita determinetur ad motũ sursum vel deorsum, vt nulla ratione possit aliter moueri ab extrinseco, sed in quantum ex principijs naturæ non profluit.

Ad secundum, Nego Conseq. non enim impulsus est grauitas aut aliquid huiusmodi, sed forma ab extrinseco impressa de genere qualitatis, quæ ex se indiscriminatim potest quoquoversum rem iactam deferre ad placitum proijcientis, vt dictum est.

Ad tertium. Explico mentem Philosophi. Assignat pro causa adiuuante & magis notiori, *concedo*, interna & occulta, *nego.* Nec credendus est Arist. vel in minimo dubitasse, aut alicubi docuisse oppositum præsentis articuli, & totius Quæstionis, de qua iam satis.

QVAESTIO XXIX.

De inuentione æterni motoris.

ARTICVLVS I.

Vtrum sit vnum tantùm creationis principium.

VIdetur quod nõ. *Primò.* Vnitas est principiũ

numeri. Sed in Deo nullus est propriè numerus, vtpote qui ab omni quantitate molis absoluitur, ex cuius diuisione ortũ habet numerus. Ergo nõ est vnum productionis principiũ.

Secundò. Omne agens agit sibi simile in quantũ potest. Sed non omne quod est, videtur esse primo agenti simile, vt apparet in substantiis compositis & materialibus, Ergo.

Tertiò. Potest intellectus noster aliquid apprehendere non intelligendo illud esse à Deo, cũ causa efficiẽs nõ sit de natura rei, Ergo multo magis in rerũ natura potest aliquid esse quod non sit à Deo. Conseq. fundatur in hoc, quia causa potentior est effectu, & illud quod est in nostro intellectu, qui à rebus desumit notitiã, videtur esse magis possibile in natura.

Primus motor.

Respondeo. Quod de primo omnium motore duplici methodo disputatur inter Sapientes, videlicet naturali & supernaturali. Atqui posterior hic ad Theologorum spectat facultatẽ, prior autẽ ad Metaphysicam, vt videre est *in li.* 12. vbi absolutè & luculenter edisserit Philosophus de vnitate primi motoris, deq; eius altissimis atque inaccessis proprietatibus: ad materiã verò huius octaui Physicorũ illa duntaxat Dei cognitio pertinet, quæ per motum haberi potest, sicut per mediũ Demonstrationis, non quod sit verè & realiter causa inhærentiæ passionis ad subiectũ de quo demonstratur, cuiusmodi est vnitas respectu Dei. eo enim vnus est quo Ens, sed quia est mediũ secundum intellectũ, qui concipit rationem quandam, priorem ra-

ratione illius quod accipitur vt passio, & est ex parte nostri causa vt talis passio insit subiecto. Hoc totum fides Catholica prædicat, & Arist. *in tex. 48.* duabus præcipuè ratiunculis confirmat. *Prima* est Peripateticis genuina: Quod sufficienter fit vno posito, melius est per vnũ quam per multa fieri. in ijs enim quæ natura sunt, oportet finitum & id quod melius est prius esse. sufficienter autem motus Vniuersi completur, per reductionem ad vnum primũ principium, & præsertim tale vt dicetur inferius. *Altera* sumitur ex continuitate motus. Experimur namque in his inferioribus continuè motus esse, quorũ alij alijs succedunt, cõtinuatio autem quæ constat ex pluribus, per accidens est, illa verò quæ sunt per accidens, reducuntur ad ea quæ sunt per se, vt omnia calida ad ignem, qui est principium.

Vnum ex vnum principiũ.

Conclusio. Quanquam distinctæ ac contrariæ in vniuerso creaturæ sint, omnium tamen vnum esse principium oportet. *Probatur.* Secũdum hunc modum res habent esse, quo possident vnitatem, vnumquodque enim suæ diuisioni pro posse repugnat, ne per hoc in non esse tendat. Sed primum mouens est potissimè habens esse, velut causa Entis simpliciter. Ergo in eo est maxima vnitas.

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Conseq. Secundum vnitatem quę ex diuisione continui enascitur, & est numeri principium, *concedo*; quæ est Entis passio, *nego*.

Ad secundum, Nego Minorem. nam corpora assimilantur primo motui quantum ad eius natutam vt bona sunt, & vnitatem aliquam habent, licet non absolutè.

Ad tertium, Nego Antecedens, quia esse rebus creatis conueniens, non potest intelligi nisi vt deductum ab esse diuino, sicut nec proprius effectus apprehenditur, nisi vt deductus à propria causa.

ARTICVLVS II.

Vtrum primus motor sit immobilis.

VIdetur quod non. *Primò*. Quidquid est in eo quod mouetur, saltim per accidens est mobile. vt anima in corpore. Sed primus motus, *secundum Arist.* est in fastigio supremi orbis qui perẽni motu voluitur, Ergo ratione illius est mobilis.

Secundò. Voluntas primi motoris. vt loquar Catholicè, efficax est, cuius nutui parent vniuersa. quando enim res est, tunc vult eam esse, & quando non est, vult eam non esse, sicut me nunc scribente, vult me scribere, & postquam cessauero nõ vult. Sed qui vult aliquid quod nolebat antea, habet voluntatem mutabilem. Ergo.

Tertiò. In *lib. Sapient. cap. 7.* dicitur: *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia*. Ergo.

Respondeo, Quod vt supra dictũ est, duobus modis est aliquid mobile. Aut per potentiã quæ est in ipso, velut principiũ motus & causa, aut quæ in alio, sicut apparet in illis Entibus quæ non habẽt ex natura aliquid tale vnde possint desinere esse, quia tamen ab alio dependent possunt aliquando corrumpi, quopacto omnes creaturæ antequã essent productæ poterant non esse, non quod habuerint

erint potentiam qua mediãte non fierent, sed quia primum agens poterat non agere, & postquã produxit, non conseruare. Vnde corpora cœlestia, substantiæ separatæ, & animæ rationales quamuis non habeant physicè vllam potentiam ad non esse, sunt tamẽ possibilia logicè, quia neutra pars contradictionis de secundo adiacente est impossibilis inquantum eis applicatur, vt patet dicẽdo, *Cælum est, cælum non est.* quæ enim est contradictio absolutè loquendo aliquod esse si cælum non est, aut nihil esse si non est angelus? sicut ergo omni Enti citra Deum conuenit habere hanc conditionem negatiuam, non ex se esse, & non affirmatiuam ex se non esse, ita appellari nihil defectibile, & potens non esse, est proprium. Hæc autem veritas in omnibus tenet locum, quamuis nõ eodem modo: quia corpora inferioris ordinis & secundum substantiam sunt mutabilia, vtpote in quorum compositionem ingreditur potentia ad esse, quæ est materia sub priuatione, & secundum formas accidentales, vt patet, cœlestia verò corpora non possunt naturaliter mutari secundũ esse substantiale, cum materiæ ipsorum inamissibiliter informentur à formis, vt *in primo lib.* ostensum est, sed tantum secundũ esse accidẽtale, orbis namque existens modò in hac dispositione locali per vnam sui partem, est quodammodo priuatus altera dispositione, quam habiturus est per aliam, vt in meridie & Oriente apparet. Cæterum substantiæ separatæ nec secundum esse substantiale, nec secundum accidentale mutantur, sed ab extrinseco, per potentiam quæ in Deo est. Ipse autẽ primus motor, est prorsus immobilis, secundũ omnem speciẽ & effigiem motus quæ potest excogitari, & hoc Philosophus tali ratione conatur

Substantiæ separatæ non mutantur.

suadere: *Euidens*, inquit, *est, dari motũ in rebus, nec ipsum à se sed ab alio esse, illud ergo à quo mouetur, vel mouetur vel non. si non, erit primum à quo omnis mutatio profluit; si mouetur, vel à se vel ab alio; & si à se, erit etiam primum; ab alio, cum non sit procedendum in infinit à in causis essentialiter ordinatis, dabitur necessariò prima, infinitorũ enim non est aliquid primum.*

Conclusio. Primũ mouens quod vnũ est; immobile est. *Prebatur* desumendo rationẽ *ex Corpore.*

Ad primũ igitur dicendum, Distinguo Maiorẽ. Si est dependenter, vt pars respectu totius, & accidẽs respectu subiecti, *concedo*: absq; depẽdentia, *nego.*

Ad secundum, Nego Conseq. non enim vult aliquid in tempore, quod antea noluit fieri, sed vniuersa ab æterno voluit, quæ aguntur mutabiliter in tempore. Hæc tamen, mea coniectura, præsentis negocij lineam transcendunt.

Ad tertiũ, Explico verba Scripturæ. *Mobilior est*, motu physico & proprio, *nego*; per metaphoram, *transeat.* quia enim diuina sapientia decenti ordine à supremis Entibus vsque ad infima pertingit motum, communicando singulis perfectiones debitas velut quosdam radios, idcircò hic processus per motum significatur & profertur.

ARTICVLVS III.

Vtrum primus motor habeat durationem æternam, atque adeò sit impartibilis.

VIDETVR quòd nõ. *Primò.* fuit aliquid durationis diuinæ quod modò nõ est, & similiter erit quod nondum comparet. Ergo illa non est æterna. *Anteced.* nam duratio qua Deus coexistebat lectioni meæ hesternæ, fuit heri, & iam non est, sicut nec ipsa lectio, qua autem coexistet sequenti erit, sed non est.

Se-

Secundo. Nihil factum ab alio potest dici de primo motore. Sed æternitas est aliquid factum, dicit enim Boetius *lib. 5. de Consolatione Prosa vltima, nunc fluens* tempus efficere; & *nunc stans* æternitatem. Ergo.

Tertiò. Primus motor quem Deum gloriosum dicimus, habet dimensiones partium continuas. vnde *Iob Cap. 2. Excelsior*, inquit, *cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra mensura eius, latior mari.* Ipse etiã Arist. *2. Metaph. Cap. 7.* appellat Deum *sempiternũ optimumq; animal* esse. Ergo est partibilis.

Respondeo, Quòd Aristot. quinque proprietates attribuit primo motori, videlicet quód sit *vnus, immobilis perpetuus, indiuisibilis, & infinitus.* de primis duabus satis actum reor in præcedẽtibus Dubijs, nunc sequuntur reliquæ. Vbi notandum est, quòd æternitas per hoc distat à tempore, quemadmodum ignis calefaciens tabulam, acquisitio n. caloris non recipitur tota simul, sed cum aliqua successione in subiecto, tempus autem est mensura successionis & motus. Quod verò est immutabile secundum esse & operationes, mensuratur æternitate, quæ est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio, & in qua esse, fuisse, & fore, simul sunt. Manifestum est autem ex supradictis, quod primus motor est immobilis, secundum omnem speciem motus, ac proinde æternus erit, immò ipsa æternitas & duratio inuariabilis. Et hanc veritatẽ colligit noster Philosophus, quãuis ex principio irrationabili. sic enim palam arguit: *Ostensum est, quòd necesse est semper motũ esse. si verò semper, nec esse est cõtinuum esse. etenim quod semper est continuum est. si verò continuus, vnus est.*

Primi Motoris qualitates secundum Arist.

vnus

vnus autem si ab vno mouente & perpetuo. Sed quia rei veritas non admittit mundum ab æterno fuisse, alia probatio est expetenda, vtpote illa prior quam posui. Quod autē primus motor sit impartibilis & incorporeus, non aliter demonstrat, quā arguendo ex infinita virtute hoc pacto: *Virtus infinita quæ primo mouenti conuenit, non potest contineri in magnitudine finita, alioquin ageret ex necessitate naturæ secundum vltimū suæ potētiæ, atq; adeò produceret infinitū, & moueret in nō tempore, quod implicat, erit itaq; impatibilis & incorporeus.* Quæ quidē demonstratio teste D. Thoma, euidentem intra motor naturalium principiorum habet energiæ dignitatem.

Conclusio. Habet primus motor durationē æternā, & omninò est impartibilis. *Probatur ex dictis.*

Ad primum igitur dicendum, Nego Anteced. tota enim æternitas simul est qua Deus coextitit diei hesterno & coexistet crastino, & idcircò verè nūc de illa enunciatur, fuit heri, cras erit, & nunc est, quia semper tota est absq; omni successione partium, cuius oppositum inuenitur in tempore.

Ad secundum, Distinguo Minorem, Est factum secundum rem, *nego*; secundum apprehensionem intellectus, *transeat.* sicut enim causatur in nobis cognitio tēporis ex eo quod apprehendimus nūc fluere motu continuo, ita causatur notitia æternitatis inquantum nunc stare deprehendimus.

Ad tertium, Nego Anteced. Sola enim quantitas virtutis in Deo est, cuius *lōgitudo* designat virtutem penetratiuam omnium, *latitudo* affectum dilectionis ad omnia, *altitudo* excellentiam virtutis super omnia, & *profunditas* virtutem ad cognoscendum occulta. Accipe ergo *animal optimum,* pro habente vitam infinitè perfectam, quæ in sui-

in suipsius contemplatione est posita. Ex motiuo tamen quorundam hic dictorum consurgit

ARTICVLVS IV.

Vtrum primus motor liberè moueat, vel ex necessitate naturæ.

VIDETVR quòd ex necessitate. *Primò*. Omne æternum est necessarium. Sed primus motor habuit ab æterno voluntatē res mouendi in tempore, vt dictum est. Ergo.

Secundò. In primo motore nihil potest esse præter naturam, quia est per se necesse esse, vt fatetur Arist. *in quinto Metaphys.* Sed naturale est ei velle mouere quidquid vult. Ergo nihil mouet liberè.

Tertiò. Primus motor est mouens immobile, vt iā probauimus. Sed voluntas est mouens motum, *ad mentem Philosophi in tertio de Anima, tex. 54*. Ergo non mouet voluntariè.

Respondeo; Quòd absque omni dubio tenendū est, motus cœlestes aliquem finem habere, nam alias omnia in vniuerso casu accideret, quod improbatur *in 2. Physic.* Inuenitur autem agere propter finem & voluntas & natura, sed aliter & aliter, natura enim nec finem cognoscit, nec rationem eius attingit, nec media ordinat, nec se mouet in illum, mouetur autē ab alio agente & volente, sicut apparet in sagitta, quæ tendit ad scopū, propter directionem sagittantis determinatā: & ob eā causam dicitur opus naturæ esse opus intelligentiæ nō errātis. Et quoniā illud quod est per aliud, posterius est eo quod per se est, idcirco oportet vt primum ordinans & primum mouens in finem, hoc faciat per voluntatem, & non ex necessitate naturæ. Sed non protrahendo longius sermonem, vt aperiam quid circa hoc senserit Philosophus, in promptu est. Con-

Primus motor vt agat.

Conclusio. Secundum Aristotelem, primus Motor, quem sub nomine Dei intelligimus, non agit quidquam necessitate naturæ, sed intellectu & arbitrij voluntate. *Probatur.* Ex varijs Peripateticæ disciplinæ testimonijs, præcipuè autem 4. *Topic. cap. 5. loco 64. & in Ethic. Cap. 8. & 2. de generatione, tex. 9. & 1. de Anima, text. 8. & 3. Metaph. tex. 15. ibidē lib. 12. tex. com ment. 52.*

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Maiorem. Necessitate absoluta & ex habitudine terminorum, *nego;* (talis enim est sola bonitas supremi agentis, quam Deus vult necessariò, magis quam homo beatitudinem) necessitate conditionali, supponente hoc in Deo, quia est ab æterno volitum, *concedo.*

Ad secundum, Nego Minorem. de hoc enim puncto currit difficultas, an sit naturale. conclusum est autem, non necessariò, nec contra naturam, sed voluntariè.

Ad tertium, Distinguo Minorem. De voluntate quæ non habet intra se obiectum, quod appetit, *concedo;* aliàs, *nego.* Sed voluntas primi motoris est essentialis bonitas.

ARTICVLVS V.

Vtrum primus motor vbique sit, in via Aristotelis.

VIDETVR quòd non. *Primò.* Illud est vbique secundum præsentiam, quod non habet locū determinatum, nec magis est in vno quàm in altero. Sed primus motor habet locum in conuexo cœli, quæ est suprema pars mundi, vt docetur *in textu 84.* Ergo in via Aristot. non est vbique.

Esse vbique quid.

Secundò. Esse vbique significat esse in omni loco, sed vt dicitur *in lib. de mundo ad Alexandrum Cap. 7. Non est consonum diuinæ dignitati, e ictis rebus administrandis interesse. sicut etiā rex nonnisi per*

per ministros regni gubernationem & administrationem exercet. Ergo.

Tertiò. Res vna non magis dicitur distare ab eo quod est vbique, quàm alia, Sed *in 2. de generatione text. 59.* docetur, hæc sublunaria, quia valdè distant à primo principio non posse fieri æterna, clarius autè *in Textu 84. huius Libri.* Ergo

Respondeo, Quòd esse vbique est omnem locum replere. hoc autem duobus modis potest intelligi, *formaliter,* & *effectiuè.* Corpus enim locatum replet locum formaliter, quatenus superficies eius exterior adæquatur superficiei concauæ corporis continentis, & partes locati partibus loci, quopacto vnum corpus non compatitur aliud in eodem loco per vires naturæ: Cæterum primus motor replet locum efficienter, quia dat ei esse & virtutem continendi, rebus verò locatis, vt ab eo contineantur. Manifestum est autem ex supradictis, quòd mouens & motum debent esse simul, nec aliquid potest agere in distans, & consequenter primus motor est vbique præsens, sicut vbique agens. Vnde & ipse Aristoteles *lib. 1. de partibus animalium cap. 5.* egregiè commendat dictum Heraclíti, quem cum quidam adissent visendi gratia, ac sedentem reperijssent, seipsos ab ingressu cohibuerunt, quos ille fidenter ingredi iussit, quoniam, inquiens, *Nec ab exiguâ domuncula Deus abest.*

Conclusio. Primus motor vbique est in via Aristotelis. *Probatur* Testimonio ipsius *in 7. Physic. Cap. 2. & in hoc octauo Cap. 5. & alibi sæpius.* *Omnia Deo plena*

Ad primum igitur dicendum, Distinguo Minorem. Habet locum quoad determinationem substantiæ, *nego;* quantum ad efficaciam motus & operationis, *transeat.* perfectius enim ostenditur

primi motoris potentia in corpore cœlesti quàm in terra, & principalius in Oriente vnde incipi motus, quàm in alijs partibus.

Ad secundum, Distinguo Minorem. Non est consonum efficiendo res se solo immediatè, *concedo*; per causas intermedias, *nego*. decebat enim bonitatem naturæ diuinæ, vt rebus creatis similitudinem non quoad esse tantùm, sed etiam quoad operationem impertiret. hoc enim longe maiorem perfectionem arguit, quàm si se solo operaretur.

Ad tertium, Distinguo Maiorem. Secundum distantiam loci, *concedo*: naturæ, *nego*. Licet enim mundus sit vas plenum Deo, qui cum causis secundis ad quamlibet earum actionem eliciendam actu cõcurrit, hoc tamen nõ impedit, quominus ipsæ creaturæ determinent sibi certas distantias in natura, vtpote quæ ab ipso perfectiones specificas progressiu quodam recipiunt, imitando eum qui non est perfectè imitabilis. *Atque in hunc modum finio Quæstionem præsentem, & cum ea totam enarrationem super octo libros Aristotelis de Physico auditu, secundum viam Angelici Præceptoris succinctè fateor, eò enim tirunculus omne propositi & intentionem dirigit vt secluſa opinionum congerie, Philosophorum dogmata, rerum naturalium notitiam, nec non sententias Aristotelis perdifficiles non suspenso pede percurrat, sed citra vllam offensam, tutus & securus expedito gradu plenissimè cõcludat & comprehendat. Deus Opt. Max. si qui bom ad eius laudem & gloriam dixi, largitor fuit ope Doctoris cœlici, sicubi hallucinatus in aliquo offendiculum impegi, veniam credo largietur; ignorans enim feci. Cui debetur laus & honor in omnes æternitatem.*

FINIS.

BIBL. ZN. IM. OSSOLINSKICH
BIBL. ZN.